Laspeyres, Ernestus Henricus
Richardus
De debitis coniugum ex
liberarum Germaniae civitatum
hanseaticarum iure commentatio

Seinem verehrten Lehrer, dem langjährigen Freunde seines Vaters überreicht diese studiorum primitias mit der Bitte um seine Nachsicht —

Halle 10/3 57. Der Verfasser.

DE DEBITIS CONIUGUM EX LIBERARUM GERMANIAE CIVITATUM HANSEATICARUM IURE COMMENTATIO.

DE DEBITIS CONIUGUM EX LIBERARUM GERMANIAE CIVITATUM HANSEATICARUM IURE COMMENTATIO.

QUAM

ILLUSTRIS IURISCONSULTORUM IN ACADEMIA FRIDERICIANA HALENSI CUM VITEBERGENSI SOCIATA ORDINIS CONSENSU ET AUCTORITATE

SUMMORUM IN UTROQUE IURE HONORUM RITE CAPESSENDORUM CAUSA

DIE VII. MENS. MART. A. MDCCCLVII
HORA X

PUBLICE DEFENDET

AUCTOR

ERNESTUS HENRICUS RICHARDUS LASPEYRES
TETRAPOLITANUS.

ADVERSARIORUM PARTES SUSCIPIENT:
RICHARDUS SCHULTZE, DR. IUR. UTR. REFEREND. REG.
CAROLUS BENNECKE, DD. IUR.
STEPHANUS LASPEYRES, STUD. IUR.

HALAE
FORMIS HENDELIIS.

VIRIS
PERILLUSTRIBUS IURISCONSULTIS INCLYTIS

CAROLO FRIDERICO DE GERBER

ACADEMIAE TUBINGENSIS CANCELLARIO

ET

LUDOVICO PERNICE

ACADEMIAE HALENSIS CURATORI

FAUTORIBUS SUIS BENEVOLIS

HANC SCRIPTIONEM VENERABUNBUS

D. D. D.

AUCTOR.

ARGUMENTUM.

PRAEMONITA.

§. 1.

Liberarum Germaniae urbium cuiusnam aliquando civitatem acquisiturus, sive potius ex paterno privilegio optaturus essem, valde dubius, et quia spes aderat, fore ut absoluto, qui dici solet, academico cursu, in singulis per aliquod tempus degendi, earumque institutiones atque vitae conditiones explorandi mihi daretur opportunitas, haud abs re esse duxi, si iamiam in academia peculiari illarum civitatum iuri cognoscendo aliquid temporis atque studii navaverim, ne aliquando mihi, etsi tironi, ad earum curias plane rudi et indocto esset procedendum.

Quod quidem studium quantum mihi dederit oblectationis atque, in rectius diiudicanda hodierni Germaniae iuris conditione et natura, adiumenti, vix dicere possim, neque opus est ut latius exponam. Sciunt etenim omnes, singularem illam Germanici atque Romani iuris, itemque vetustissimarum consuetudinum et plurimarum diversissimi temporis legum compositionem atque commixtionem, qua per aliquot iamiam saecula Germania utitur, ne dicam, fruitur, fere nusquam aeque atque in iis ipsis civitatibus in lucem prodiisse atque in formam legis esse redactam. Praeprimis allexit atque arrisit diutiusque detinuit me de coniugalium bonorum conditione doctrina, quippe quae non solum per sui ipsius naturam latissime pateat, atque in omnes fere iuris privati partes redundet, sed et in singulis liberarum civitatum statutis variam atque peculiarem praebeat speciem, et praecipuam per litteras meruerit obtinueritque culturam. Hinc factum est, ut cum ex statutario illo iure, tum intra illius doctrinae fines materiam quaesiverim dissertationis, quae, ut doctoralium in utroque iure honorum ex concivium et commilitonum more compos fierem, secundum natalitiae terrae atque civitatis leges mihi erat conscribenda, ac publice defendenda.

Non is certe sum, quem fugiat, quantum subierim periculum in coniugalium debitorum difficili atque intricata materia exponenda, vereorque, ne aliis quoque proposito impares videantur vires planeque displiceat scriptiuncula, quam ipse auctor laude dignam vix habeat.

Quin libere confiteor, ne ad finem quidem perductum esse, quod mihi proposueram; nam quum non potuerim, quin alias complures materias, de coniugum debitis doctrinae contiguas et connexas, etsi brevissime adumbrarem, longiorem me futurum esse mox vidi, ni in hanseatico iure delineando constiterim, consiliumque, cum francofurtano illud componendi, quod multo aliam atque diversam neque tamen incompatibilem exhibet iurium coniugalium speciem, in aliud differrem tempus. Mutilas igitur atque mancas hasce studiorum primitias in scenam haesitabundus propello atque pavido animo.

At vero tirocinium cuique est ponendum, neque mihi defuturos esse spero aequos et benevolos iudices, qui verbi istius meminerint: „in magnis voluisse sat est;" neque secum et aliisecum reputare nolint, quod huius scriptiunculae auctor non tam ipse aliquod novi atque inauditi proferre, et de hanseaticarum urbium iure aliis rectius sentire autumet, quam id unum sibi proposuerit, ut, quod singuli in civitatibus Icti doctissimi atque de patrio iure meritissimi summo labore atque felicissimo eventu enucleaverint [1]), componendo et comparando, de sui ipsius studiis, eorumque qualicunque profectu reddat rationem.

§. 2.

De statutis legibusque ipsis non est quod multis agam, atque vero ex iis, quae alii tam praeclare et tam diligenter ea de re scripserint [1]),

[1]) Quorum in numero summa atque sempiterna laude nominandi sunt et ubique nominantur: *Pauli: Abhandl. aus d. lüb. R. Lübeck* 1837. 1840. 1841, imprimis tom. II: *Die ehelichen Erbrechte; Cropp: ueber die Vermögensverhaeltnisse der Eheleute nach den Grunds. des Hamb. R's. (Heise u. Cropp: Jurist. Abhandl.* tom. II. *Hamburg* 1830. p. 427 — 578); *Trummer: das Hamb. Erbrecht. Hamb.* 1852, imprimis tom. I; *Trummer: Vortr. ueber merkw. Erschein. im Gebiete der Hamb. R's.-Gesch. Hamb.* 18$\frac{49}{50}$. Tom. III. Nr. IV: *das altgermanische Personenrecht; Donandt: Versuch einer Gesch. des brem. Stadt-R's.* tom. II. *Bremen* 1830. p. 95 — 211; *Berck: ueber das brem. Gueterrecht der Ehegatten, Bremen* 1832. Priorum quoque temporum scriptores, saltem quod ad statuta recentiora attinet, multa atque laudabilia de harum civitatum iure statutario protulisse nequaquam negandum est; quare hoc in opusculo nec eorum scripta erant omittenda. Maximam autem laudem tum demum iis tribuemus, si tempora quibus vigebant respiciamus, ubi alienigeni iuris doctrina plerosque adduxit, ut, obscuratis summis iuris germanici principiis, inveteratarum consuetudinum patriarumque institutionum naturam e romano iure explicarent.

[1]) *Hach* in editione statt. vett. lubb: *das alte lueb. R. Luebeck* 1839. p. 1—181; *Lappenberg* in editione statt. vett. hambb: *die aeltesten Stadt- Schiff- und Landrechte Hamburgs. Hamburg* 1845. p. I—CLXI; Prooemium editionis recentissimae statt. hambb. a. 1605: *der Stadt Hamburg Ger. Ordnung und Statute, herausgegeben auf Veranl. des Vereins für Hamb. Gesch. Hamburg* 1842. p. III—LXIV; *Donandt* l. c. p. 1—54; *Oelrichs* in editione statutorum bremensium: *vollstaendige Sammlung der aelteren und neueren Ges. Buecher der Stadt Bremen. Bremen* 1771. p. I—L. Quas statutorum editiones equidem semper secutus sum, ubi leges erant afferendae.

paucissima quaedam componere non ineptum mihi videtur, quum, quantacunque inter singulas civitates earumque statuta fuerit diversitas, generalia tamen quaedam omnibus communia reperiantur.

Statuta, in quibus primis consuetudines moresque maiorum litteris mandata sunt, hisce diebus non exstant [2]), quaeque nunc prima supersunt, nequaquam eodem tempore concepta sunt. Inter statuta enim lubecensia vetustissima, quae quo anno conscripta sint exquirendum vix erit, [3]) statutaque bremensia a. 1303 plures fortasse quam centum anni intersunt; medioque inter utraque tempore (a. 1270) statuta vetera hamburgensia confecta sunt. Nec non omnia haec aliquam inter sese habent coniunctionem. Hamburgensia etenim quin aliqua ex parte in bremensia illa translata sint, nullo modo dubitatur, quamvis q u o m o d o id factum sit non constet inter scriptores [5]). Itidemque multae ac magnae supersunt dubitationes, quanta statuta lubecensia in conficiendis hamburgensibus fuerint auctoritate, cuius vestigia quaedam facile cognoscimus. [6]) Statuta autem illa vetera paullatim ex temporum moribus variam receperunt formam; licet aliter aliis in civitatibus. Quum enim Lubecae in omnibus codicibus, aut ad ipsius urbis aut ad aliarum civitatum usum conscriptis, singula, quae obsoleta esse viderentur, immutata sint, Hamburgi a. 1292 et 1497, Bremae a. 1428 et 1433 omnia statuta immutatae cuiusque temporis consuetudini adaptata sunt, ad quod faciendum variae rationes adduxerunt. [7]) Eodem autem fere tempore omnes intellexerunt, omnino reformanda esse statuta vetera. Hinc illae exstiterunt saeculi XVI^mi fere peracti atque ineuntis XVII^mi [8]) reformationes, quae legis vicem Bremae quidem nunquam obtinuerunt, [9]) Hamburgi vero atque Lubecae ad hunc usque diem valent. Quarum itidem exstat communio quaedam atque cognatio, cum inter hamburgensia atque bremensia statuta, quae minor eademque fere quae antea esse videtur, [10]) tum praeprimis inter illa et lubecensia. Iuris enim hamburgensis veteris praecepta saepe in statutis recentioribus lubecensibus nobis occurrunt: neque tamen putabimus, non suffecisse ius lubecense ideoque suppletum esse ex statutis illis finitimis. Sed ex utriusque iuris externa tantummodo prioribusque temporibus facta coniunctione commixtio illa originem duxisse videtur. Iam dudum enim praecipue in nonnullis Holsatiae civitatibus, quibus quamvis iure lubecensi uterentur, quibusdam

[2]) L u b: *Hach* l. c. p. 25. sq. — H a m b. *Anderson*: *Hamb. Stadtr. v.* 1270 etc. *Einl.* §. 1, contra cf. *Hach* l. c. p. 23, contra cf. *Lappenberg* l. c. p. XXXI. — B r e m: *Oelrichs* l. c. p. IV, cui vix obstat *Donandt* l. c. p. 38.

[3]) *Hach* l. c. §. 5.

[4]) cf. *Donandt* l. c. p. 377 not. 17.

[5]) *Oelrichs* l. c. p. XIV; *Donandt* l. c. p. 366 sqq.; *Lappenberg* l. c. p. LXXX.

[6]) *Hach* l. c. p. 24 sq.

[7]) cf. *Lappenberg* l. c. p. CXVI sqq. *Oelrichs* l. c. p. XXVI sq.

[8]) Lubecae: a. 1586; Hamburgi: a. 1605; Bremae: a. 1606.

[9]) cf. *Oelrichs* l. c. p. XXXV sq.;

[10]) cf. e. g. *Berck* not. 250.

in casibus hamburgenses quoque leges sequi fortasse permissum erat, utraque statuta aut disiuncta aut commixta [11]) in unum conscribebantur codicem. Quam confusionem ius ipsum lubecense paullatim inficientem imprimis reformationis desiderium provocasse putandum est. [12]) Viri autem, quibus statuta revidenda commissa erant, omnia illa iuris hamburgensis praecepta, quorum originem fortasse ignorabant, non excludebant sed gravissimas tantummodo discrepantias resecantes paullo diligentius cum patriis legibus coniungebant. [13])

Ex illis temporibus statuta aliam novamque in formam redacta non sunt, sed quae singula in iis immutanda esse videbantur, per speciales constituta sunt leges, quarum e numero nostrum ad finem imprimis spectant, quae de cura atque tutela [14]), itemque quae de pactis nuptialibus [15]), nec non quae de bonis debitorum aere alieno obrutorum [16]) agunt.

§. 3.

Absolutis his quamquam paucissimis, iam ad ipsam rem hocce libello tractandam propius accedere mallem, ac vero nondum satis praemisisse videor. Nam quum, quae in coniugum bonis sunt, ex germanico iure nequaquam omnia iisdem legibus teneantur, sed diversas pro singularum rerum natura sequantur regulas; idque in hanseaticis civitatibus aeque atque ex aliis Germaniae statutis valeat, magnique in diiudicandis coniugum debitis sit momenti, haud ineptum videbitur, si quae sint praecipua bonorum coniugalium genera atque discrimina summatim dinumeremus.

Sicuti in omni fere Germania [1]) ita et in civitatibus, quarum de iure statutario hoc loco agetur, praecipua antiquitus rerum immobilium erat auctoritas, unde in ipsis mobilibusque vel acquirendis vel alienandis vel diiudicandis multae magnaeque provenerunt differentiae. Atque tamen eas attigisse sufficiet. Etenim quod in immobilium rerum alienatione e iure germanico iudiciali illa opus sit solennitate, quae „*Auflassung*" appellatur, id certe in nostris civitatibus [2]) itidem et semper obtinuit et ad hunc diem obtinet. At vero non invenimus, unquam ibi masculos potiori iure, quam feminas in immobilia successisse; neque diu

[11]) cf. e. g. *Gengler: Deutsche Stadtrechte des Mittelalters. Erlangen* 1852. p. 265; 267 sq.

[12]) *Hach* l. c. p. 25.

[13]) *Hach* l. c. p. 2.

[14]) Lubecae 1820. Hamburgi 1831 & 1838. Bremae 1826.

[15]) Bremae 1754 & 1833.

[16]) Hamburgi 1754. Bremae 1843.

[1]) *Gerber: Deutsch. Priv.-R.* §. 58 not. 1. cf. etiam §. 74, §. 82, §. 248, §. 251 not. 5.

[2]) Stat. Lub: Cod. Hach II, 23 & 24; III, 130 & 131. R. St. III, 6,. 1 & 2. Stat. Hamb: 1270 I, 6; 1292 C, II; 1497 G, II; 1605 II, 8, 6 & 7. Stat. Brem: 1303 O. 19; 1428 II, 50; 1433 O. 47 (cf. etiam 1303 O. 20; 1428 II, 44; 1433 O. 71); 1303 O. 23 & 24; 1428 II, 40; 1433 O. 49.

apud nostros valuisse videtur illa iuris Germanici regula, ex rebus tantum mobilibus defuncti debita esse ab herede praestanda. (cf. §. 58.)

Efflorescente enim in diem harum civitatum commercio, rerum mobilium atque immobilium fere aequa facta est potestas, ut ne ius quidem dissentiendi intactum evaderet, quod proximis heredibus ex more germanico tribuitur, quoties quis immobilia voluerit alienare.

§. 4.

In iure vero illo heredum (de quo infra §. 8—15.) diiudicando, altera quoque bonorum respicienda est divisio, scil: bonorum hereditariorum *(„Erbgüter")* [1]) et conquisitorum *(„wohlgewonnenes Gut")*. Notissimum vero est, pro hereditariis praeprimis ea haberi bona, quae quis aut legitima successione accepit aut sane accepisset, nisi ipsi testamento a propinquo essent relicta. [2]) Neque vero plane necesse est, ut mortis causa sint acquisita, quia aeque huc numeremus oportet omnia, quae cui in vicem illorum inter vivos advenerint; qualia sunt, quae ad dotandos liberos dantur, in feminis *„Beradung"* *„Heirathsgut"* vocata, in masculis *„Aussteuer"*, itemque ea bona, quae in generalem veniunt divisionem inter parentem superstitem liberosque faciendam. [3])

§. 5.

Praeter eas, quas iamiam attigimus differentias, quasque omnia pariter valere constat, sive a marito sive ab uxore bona matrimonialia illata sint, maximi quoque momenti est, ut et origini bonorum rationem habeamus. Defenditur certe vel adhuc, atque praevaluit olim [1]) sententia, eam esse coniugibus liberarum civitatum communionem bonorum, quae vocatur *„allgemeine innere- materielle Guetergemeinschaft„* ita ut mariti uxorisque facultates unum indivisibileque efficiant patrimonium, cuius

[1]) De alia quadam huius vocis significatione cf. infra §. 9.

[2]) *Pauli* l. c. I p. 49 sq. & p. 51; *Baumeister Hamb: Priv. R. (Hamb.* 1856) §. 116. I. a.; *Berck* l. c. p. 119 & not. 216 i. f. De compluribus dubitationibus hac in quaestione ortis cf. *Pauli* I n. 93; *Baumeister* §. 116 n. 1; *Berck* n. 217.

[3]) *Pauli* I p. 72 & 78; *Baumeister* §. 416. I. b; (cf. Elers: diss. de comm. bon. praec. sec. stat. hamb. 1732. §. IX.); *Berck* n. 216.

[1]) Hanc sententiam defendunt scriptores, quos afferunt *Pauli* II n. 63; *Cropp* l. c. II p. 506; *Berck* §. 20 n. 192 & 193, qui minus recte huc referre videtur libellum, qui inscribitur: *Bericht an das Reichskammergericht etc.* (cf. *Gildemeister: Beitr. z. Kenntniss des vaterl. R. Bremen* 1806. P. I. Nr. 1.) ubi §. 27 dicitur: *„vollkommen wahr ist es, dass die Eheleute in Bremen* in communione bonorum *leben*," quum ex verbis, quae addit qui illud ad iudices imperiales retulit, pateat id ipsum eum negasse, coniugibus bremensibus bonorum dominium esse pro indiviso. Utrum autem ipse maritum solum universorum bonorum habuerit dominum, an veram ea de re sententiam defendere voluerit ex his ipsis verbis (comm. bon.) non est diiudicandum cf. *Gerber* §. 233 n. 5.

dominium utrique coniugi competat pro indiviso; rectius vero sentiunt qui putant,[3]) in manu mariti tamquam familiae capitis quamvis utraque bona coniungantur, singularum tamen rerum dominium ipsum nullo modo immutari, eamque tantum esse inter coniuges communionem bonorum, quam appellare possis „*Guetereinheit*“.[4]) Quidquid enim mulier attulerit marito sive ad supellectilem quotidianam pertineat sive in reditibus constet sive in praediis utriusque generis,[5]) in manu mariti („*in seine Were*“) collocatur,[6]) ipsique competit „*die Gewere zur rechten Vormundschaft*“[7]), quae maiorem ei de bonis ab uxore illatis disponendi facultatem concedit, quam sola quae dicitur cura sexus,[8]) tamen non eum reddit dominum.[9]) Eidemque mariti potestati generaliter etiam subiici solent omnia, quae uxor durante matrimonio quocunque modo acquisierit,[10]) quibus, cum nullius momenti sit, unde provenerit uxori ille acquaestus, ***Morgengabe*** quoque adnumeranda est, cuius ipsa statuta nostra nullam, litterae tabulaeque veteres rariorem faciunt mentionem.[11])

Qua in inferiore uxoris conditione ratio quoque posita esse videtur, cur soli marito dominium tribuatur universae collaborationis coniugalis („*Errungenschaft, Erkoberung*“),[12]) cuius in numero sunt 1) quaecunque coniuges acquisiverunt aut labore — cui et levissimae operae pares habendae sunt —; aut opibus — quare huc pertinere videtur lucrum aleatorium —; aut labore et opibus, — quapropter et omne lucrum

[2]) cf. *Gerber* §. 233.

[3]) *Pauli Abh.* P. II. cf. e. g. prooemium; *Heise & Cropp Abh.* P. II Nr. XVI imprimis §. 29 sqq. (quibus scriptoribus oppugnat *Trummer: Vortr. ueber merkw. Ersch. im Gebiete der Hamb. R.-Gesch. Hamburg* $18\frac{49}{50}$, Tom III Nr. IV. *III das altgermanische Personenrecht)*; *Berck* l. c. cf. e. g. §. 4.

[4]) cf. *Gerber* §. 230 sqq.

[5]) cf. Lub: *Pauli* II n. 11 (de rebus inferri solitis cf. e. g. testamenti verba, quae exhibet *Pauli* II n. 12.) Hamb: Stat. a. 1270 I, 20; 1292 C, XIV; 1497 G, VII. Brem: *Berck* p. 194.

[6]) cf. *Pauli* II n. 18; *Berck* not. 200.

[7]) cf. *Pauli* II p. 10; *Cropp* II p. 488; *Berck* p. 193. Incipit autem illa *Gewere* non ante conscensionem thalami cf. e. g. *Pauli* II p. 4; *Stein Abh. d. lüb. R's*: I §. 120; *Berck* n. 201.

[8]) *Berck* p. 193.

[9]) Lub: cf. *Pauli* II §. 4—6; Hamb: Stat. a. 1270 III, 15 & 17; alia quidem sunt verba statutorum a. 1292 E, XV; 1497 J, XVII, cf. autem *Cropp* II §. 15—17. Brem: cf. *Berck* p. 191.

[10]) Lub: *Pauli* II n. 19; *Michelsen: Oberhof zu Lübeck* 1839 Nr. 211: (a. 1489) „— *guder der frouwen* — — *von ereme frunde angestorven* — — *myt deme brutschatte, das se eyme vormerige weren.* —“ Hamb: *Cropp* II §. 22. Brem: *Berck* p. 246.

[11]) cf. *Pauli* II §. 11. Bremae in usum recepta fuisse omnino non videtur cf. *Berck* p. 195.

[12]) Latius ea de re agunt: *Pauli* II §. 14; *Cropp* II §. 41. (cf. etiam stat. hamb. a. 1270 III, 17, verb: „*unde so wat dar boven is, dat des mannes was*“*)*; cf. *Harder: Beitr. z. rechtl. Stell. d. Frauen nach d. Hamb. Stadtr. v.* 1720 *(Hamb.* 1843*)* qui p. 46 plus etiam marito tribuit; *Berck* p. 245: item et *Gildemeister* specimen legitimum de comm. bon. inter coni. ex leg. brem. (Gott. 1775) marito tamquam „capiti familiae ipsius matrimonii emolumentum“ tribuit.

omnisque quaestus e commercio coniugum profluens collaborationi ad numeranda sunt; — 2) omnes fructus naturales et civiles, qui ex utriusque coniugis bonis percipiuntur.

§. 6.

Atque tamen alia interdum quorundam uxoris bonorum esse potest conditio.

1) Neque enim raro fieri solet, ut nonnulla neque statim neque revera in matrimonium inferantur, quum aut parenti uxoris superstiti aut aliis personis quaedam iura adhuc in illis competant. Quae bona (— „*Anwardhinge*, *Anval*, respectus hereditatis" veteribus in documentis appellata — [1]) utrum bonis vere illatis omnino paria habenda sint, ita ut in utrisque eadem marito concedantur iura, dummodo reliquorum iura eo non laedantur, inter letos nequaquam constat. Ubi enim, certo quodam iure uxori illis in bonis nondum quaesito, spem tantum aliquam habeat in illa succedendi, tum marito nulla in iis esse posse iura, quis est, quin intelligat. Ubi autem uxor bonorum, quorum compossessio („*Beisitz*") ei est cum parente superstite, dominium licet pro indiviso nacta est, partem quoque suam alienare quidem potest, auferre autem parenti ante divisionem legitimam non potest (cf. §. 84.) [2]). Neque vero iis bonis par habenda est dos promissa („*gelobte Mitgift*"), in qua actio tantum marito per breve tempus competit. [3]) 2) Interdum sive per pactum sive ex dispositione aliorum, sive ante sive post [4]) contractum matrimonium quaedam uxoris bona, quae tum „*Sondergueter*" appellantur, mariti potestati omnino adimuntur, quamvis administratio eorum penes eum esse potest. [5]) Nulla quidem eorum in

[1]) Quibus de bonis imprimis cf. documenta, quae commemorat *Pauli* II p. 38 sqq.

[2]) Itaque bona illa filiam iure lub. alienare potuisse, litteris quibusdam veteribus confirmat *Pauli* II p. 35 sqq.; *Berck* §. 25 & n. 628 certe quoad haec tempora, si filia cum matre superstite bona possideat, idem sentire videtur; diversam sententiam defendit *Cropp* II §. 22, cum non in mariti manus („*Were*") bona illa venerint.

[3]) Lub: Cod. Hach II, 1; III, 269 biennio peracto dos pro soluta habetur, ideoque bonis illatis, si forte sint restituenda, adnumeratur. cf. *Pauli* II §. 17; *Stein: Abhdlg.* I §. 150 sqq.; *Michelsen: Oberhof* Nr. 155. Hamb. Stat. a. 1270 III, 1; 1292 E, 1; 1497 J, II; 1605 II, 11, 10. Brem. statuta nil ea de re cavent.

[4]) *Stein: Abh.* I §. 132 ****. Cui sententiae non oppugnat *E. P. O. v.* 1754, §. 8 et *E. P. O. v.* 1833, §. 7, quae leges ad bona post initum matrimonium conquisita omnino non pertinent.

[5]) Singularis quaedam recentissimi iuris bremensis lex (*Erben und Handvestenordnung von* 1833 §. 8 [a]) praecipit: „*Die Ehefrau kann ihre der Guetergemeinschaft nicht unterworfenen Gueter nur mit Zustimmung des Ehemannes veraeussern, wird diese ohne Grund verweigert, so kann dieselbe von der Commission ertheilt werden. Bei solchen Guetern dagegen, die selbst der Verwaltung des Mannes entzogen sind, ist seine Einwilligung nicht nöthig.*"

statutis ipsis facta est mentio, at vero in omnibus his civitatibus repe-riuntur, licet non eadem ubique eorum fuerit frequentia. [6])

Quemadmodum autem eiusmodi quibusdam in bonis per pacta mariti minuatur potestas, ita et vetus quaedam Bremensium erat con-suetudo, legibus non sancita nostrisque temporibus iamdudum obsoleta, iura mariti in omnibus uxoris facultatibus per nonnullos annos pacto differendi, ut si paullo post initum matrimonium uxor decessisset, cognatorum iura hereditaria magis munirentur. [7])

[6]) Lub: In scriptis veteribus post annum 1302 nomine „*Spelepennige*, de-narii truphales" commemorantur cf. *Pauli* II p. 45 sqq.; *Stein: Abh.* I §. 129. Hamb: *Trummer: Vortr.* III p. 243 sqq.; *Cropp* II §. 24 bona illa separata et Hamburgi constitui potuisse non ne-gat, quamvis ea nunquam fere constituta fuisse putet. Cf. autem Comment. *Synd. Möll.* §. 1. ad stat. a. 1605 II, 5, 10. Brem: Leges, quas affert *Berck* p. 193 sqq. n. 201[a], generaliter tantummodo confir-mant, conditionem bonorum legitimam per pacta iure bremensi statutario immutari po-tuisse. cf. etiam *Hake* de iure fem. brem. stat. Groningae 1728. Cap. III §. XIII; Gloss. Krefft. ad stat. a. 1433 O. 86; neque tamen et legitima sanctione bona illa carent. cf. *Ehepactenordnung v.* 1754. „§. 1 —" *soll hinführo keine Ehefrau mit ihren Illaten wenn sie solche zum Theil oder in's Gesammt ausser der — — — Guetergemeinschaft reserviret etc.*" cf. etiam *E. P. O. v.* 1833 §. 1 & 8.

[7]) Qua de consuetudine latius agit *Berck* not. 201[a], qui et exempla quae-dam enumerat.

PARS I.

DE
CONIUGUM DEBITIS DURANTE MATRIMONIO.

Cap. I.
De mariti debitis.

§. 7.

Maritus, etsi universorum praeter separata matrimonialium bonorum solus sit et legitimus administrator, eorumque, quae ipse in matrimonium intulerit aut postea acquisierit, verus dominus, libera tamen nequaquam fruitur de bonis disponendi facultate. Alia vero non solum est conditio mariti in utriusque generis bonis, sed ne iisdem ex causis atque rationibus derivandum est, quod ex arbitrio marito non liceat uti iis rebus, quae in ipsius manu aeque sunt positae. Quo enim maior esse soleat apud uxorem mariti auctoritas, eo magis prospiciendum erit, ne vanum reddatur dominium, quod uxori adscribendum esse vidimus in omnibus fere rebus, quae ab eius parte veniant in communionem. Atque quamvis maritus caput quidem et pater sit familiae, tamen neque maiori potestate in ipsius patrimonio administrando uti potest, quam quae aliis sui iuris masculis competit, neque concedendum est, ut, qui sub ipsius cura et sint et esse debeant, neutiquam valeant prohibere, quod in ipsorum damnum quin perniciem versum iri certissime praevideant.

Hinc non solum de debitis, quae maritus quaeve uxor ipsa contraxerit, separatim erit agendum, sed et in illis solvendis multum interest, unde maritus creditoribus satis facere velit, utrum ex uxoris an ex propriis bonis; neque possum, quin iuris etiam, quod dicitur proximorum heredum habeam rationem, quippe quod etsi in alienandis rebus praevaleat, in debita a marito contracta et solvenda aliquatenus redundet.

Tit. I.
De mariti debitis ex ipsius bonis solvendis.
A. De iure heredum proximorum generatim.

§. 8.

Quemadmodum in omni Germania prioribus temporibus legitimis heredibus ad conservandas familiarum opes certa erant concessa iura,

neque ulli libera dabatur potestas de bonis suis ex arbitrio disponendi: ita et in hanseaticis civitatibus maritus in suis rebus' alienandis propter eiusmodi heredum iura impeditus erat. Quae qualia fuerint ex hisce imprimis statutorum locis cognoscemus:

a. In statutis lub. veteribus [1]) haec occurrunt: „Hereditaria bona i. e. *torfhacheigen* nemo potest impignorare vendere vel dare sine heredum conniventia"; itemque recentiora [2]) cavent: „*Erbgut mag man ohne der Erben Erlaubniss nicht alieniren.*"

b. Nec non antiquum ius hamb. [3]) idem constituit: „*Aller hande erve dat enen manne edder ener vrouwen anvallen mach van eren elderen ofte van eren vrunden, dat hetet ervegud. Alsodan erve also hyr bescreven is, dat ne mach nen* man *wedder setten ofte sellen ane erve loff.*" Quae posteriora verba in novissimis desunt statutis,

c. Bremenses quoque codices omnes [4]) simili modo praecipiunt: „*So weme en erve besterft, dhe erven heft man edher vrowen, dhe ne nach dhat nicht laten, he ne dot mit erven love.*"

§. 9.

Lubecensium statutorum praecepta, quae modo diximus, minus inter sese convenire videntur. Quamvis enim per verba antiquissimi codicis: „bona hereditaria" procul dubio translata sit vox: „*Erveghud, Erbgut,*" qua utuntnr recentiora statuta; tamen de iisdem bonis utraque statuta non agunt, quum in veteri illa lege voci: „*Erbgut*, bona hereditaria" non ea danda sit interpretatio, quae posteriori tempore semper, illo interdum [1]) huic voci vindicabatur. Idem potius „*Erbgut*" quod „*Erbe*" [2]) significabat, quo verbo et in codicibus et in litteris antiquis saepenumero per vocabulum: „hereditas" translato, [3]) fere semper bona immobilia undecunque venerint declarari inter omnes constat. [4]) Sic

[1]) Cod. Hach I, 1.; De praeceptis Cod. Hach II & III cf. infra §. 9 not 9.

[2]) R. St. I, 10, 6. Minus huc pertinet, ideoque a nobis seponetur, R. St. I, 9, 5; quippe quae lex de bonis hereditariis mortis causa dandis („*Vergabungen*") agit.

[3]) Stat. a. 1270 I, 8; 1292 C, IV; 1197 G, V.

[4]) Stat. a. 1303 O. 53; 1428 H, 53; 1433 O. 54.

[1]) cf. e. g. Stat. hamb. a. 1270 I, 8; 1292 C, IV; 1497 G, V.

[2]) Ea significatione in statutis lub. hoc verbum inveniri, apparet ex art: Cod. Hach II, 29, legi citatae respondente. Additur insuper in quodam eorundem statutorum codice (Cod. Hach II, 29 n. 1.) „*Erveghut edder liggende grunde.*"

[3]) Cf. e. g. Cod. Hach I, 5. i. f., nec non inscriptiones artt: Cod. Hach I. 5 & 6; vid. etiam Cod. Hach I, 78. coll. cum II, 34.

[4]) Id multi ostendunt loci, quos exhibet *Kraut: Grundriss* etc. §. 95; cf. etiam *Pauli: Lüb. Zustände zu Anfang des* 14 *Jahrh. Lübeck* 1847. p. 39 & 41 sqq. Verbis „bona hereditaria" in lege cit. hanc significationem esse debere apparet ex additis verbis: „i. e. *torfhacheigen*," de quibus cf. *Pauli* I §. 4. praec: p. 19, sqq.

nostra lege id tantum prohibetur, ne bona immobilia alienentur sine heredum conniventia, i. e. permissione.

Statuta vero a. 1586 l. c. vocem „*Erbgut*" legaliter ita definiunt: „*allerhand Gut, welches einem Menschen anfallen mag von seinen Eltern oder Blutsfreunden.*" Itaque altera ex parte nullo inter bona mobilia et immobilia hac lege facto discrimine, ius illud heredum paullatim maiores in fines extensum esse videtur, ex altera vero in angustiores redactum, quum vetera statuta omnes comprehendant res immobiles, licet non legitima successione devolutas.

Atque tamen statutorum nullus est dissensus. Arctiorem enim interpretationem verbis illis antiquorum codicum dandam esse, inde satis apparet, quod alio loco idem codex constituit: [5]) „vir liberum habet arbitrium impignorandi, vendendi, dandi cuicunque vult proprietates sibi conquisitarum facultatum;" libera enim hic ei datur potestas, immobilia non hereditario iure ad ipsum delata alienandi „sine contradictione qualibet". [6]) Quare quum facultatibus conquisitis iam tunc omnia adnumerari oporteat, quae non sint „*Erbgut*" i. e. quae quis neque ex parentum neque aliorum propinquorum hereditate acceperit, [7]) generalia ista verba: „bona hereditaria" arctius ita interpretabimur, ut de iis tantum immobilibus, quae per successionem universalem devoluta sunt, actum esse censeamus. Utraque igitur statuta de iis tantummodo bonis agunt, quae sensu strictiore dicuntur hereditaria atque sola in hac ipsa dissertatione abhinc eo venient nomine.

Alteram quoque discrepantiam de qua supra diximus aeque esse fallacem, ex recentiorum statutorum lege [8]) cognoscere possumus, qua praecipitur: „*Hat ein Mann wohlgewonnenes Gut — — — der mag damit seines Gefallens gebaeren, nicht anders als mit seiner fahrenden Habe.*" Nam quum verba „*wohlgewonnenes Gut*" de iis tantummodo bonis conquisitis, quae sunt immobilia, hoc loco dicta esse possint, itidem vox: „*Erbgut*," quae illis opponitur, immobiles tantummodo res, quae per hereditatem obvenerint, comprehendere videtur. Neque minus ex hac lege intelligimus in mobilium licet hereditariarum rerum alienatione neminem esse per heredes impeditum, — conquisitis enim bonis generaliter hoc loco res mobiles opponuntur, illorum origini nulla habita ratione — quare et in principali ista lege vox „*Erbgut*" ad immobilia tantum referri poterit. Omnino itaque consentiunt et antiquissima et novissima statuta lubecensia, neque est quod putemus aliam medio tempore ea de re valuisse sententiam, [9]) consensuque heredum in alienandis bonis mobilibus, licet fuerint hereditaria, unquam opus fuisse.

5) Cod. Hach I, 1.

6) Eam esse huius legis sententiam fusius docet *Pauli* I, p. 22 sq.

7) cf. *Pauli* I p. 23.

8) R. St. I, 10, 3; cf. etiam Cod. Hach II, 44. Var. in not. 7.

9) Quin ex nonnullis mediorum codicum legibus (Cod. Hach II, 122; III, 90.) licet male conceptis — quid enim

§. 10.

Idem et colligimus ex codicibus statutorum hamburgensium. Voce enim „*Erbgut*“ primo ita definita, [1]) ut omnia huc numeranda sint mobilia et immobilia, quae quis a parentibus cognatisve hereditatis iure acceperit, ius alienationibus, quae ex titulo oneroso fiant, dissentiendi, heredibus in iis tantum bonis concedi videtur, quae sunt immobilia. („*also dan erve also hyr besereven is* — —“) [2]) Eandem igitur regulam sustinent hamburgensia statuta atque lubecensia recentiora, iisdemque plane verbis utraque utuntur in bonis hereditariis definiendis; atque tamen illorum definitio mobilia et immobilia hereditaria aeque complectitur („*Erve edder Gut*“) [3]), dum iuris lubecensis verba ad immobilia tantum spectant. Cuius discrep antiae ea mihi videtur esse ratio: verbo „*Erbgut*“ duplicem in modum uti possumus, aut originem bonorum respicientes aut iura heredibus in iis concessa.

Hanc quidem augustiorem significationem statuta lub:, illam hamb: verbo vindicant.

§. 11.

Iam superest ut de legibus bremensibus supra commemoratis agamus. Quarum quae sit sententia, vix quisquam dubitabit, quum iam ex verbo „*bestervet*“ colligi possit, voci „*Erbe*“ vulgarem [1]) hoc loco vindicandam esse significationem; ita ut etiam secundum haec statuta tantummodo in immobilibus bonis hereditariis alienandis heredum consensus requiratur.

e. g. dicatur de exceptione legitimae necessitatis, ubi de dationibus in favorem ecclesiae loquuntur? (cf. III, 90.); quam stupide codex ille, nisi forte typographi sit peccatum, legit: „*erve edder gud*“ pro „*erven*“!) — colligere licet, idem et his temporibus de heredum iure valuisse; cf. etiam Cod. Hach II, 32 not. 9.

[1]) Quae definitio quomodo aliter aliis in codicibus posita sit, cf. stat. a. 1497 J, VI (vid. not. sequ.) cum G, V; stat. a. 1292 F, IX cum C, IV.

[2]) Nullum enim momentum tribuendum est unius codicis (*Lappenb.* stat. a. 1270 I 8, n l.) lectioni: „*alsodan Ervegud*“ etc. Exceptionem quandam vitae parum convenientem, ideoque per breve tantum tempus vigentem, qua speciatim in alienandis hereditariis bonis mobilibus et immobilibus („*Erve und Gud*“) consensus heredum requiritur, commemorant stat. a. 1497 J, VI: „*Allerkande erve edder gud, dat eneme manne anvallen mach edder anvallet van synen elderen edder synen frunden, dat heet ervegud. Unde welkem manne suszdane gud ankamet de nycht hoge noch na stadrechte beseten ys, de mach dat nycht vorkopen edder in lyfghedinck keren, ane syner rechten erven vulbort.*“ Qua de exceptione cf. *Gries* Comm. II p. 141; aliter sentit *Trummer: Hamb. Erbr.* I §. 60. i. f.

[3]) Quamvis enim in stat. a. 1270 I, 8. secundum Lappenbergium desint verba: „*edder Gud*,“ iam ipsa naturalis ratio repugnat sententiae, posterioribus demum temporibus voce „*Erbgut*“ mobilia quoque fuisse comprehensa. Praeterea multi codices (cf. *Lapp.* stat. a. 1270 I, 8. not. f.) etiam haec verba exhibent.

[1]) *Oelrichs* Glossarium pag. 45. sq.

§. 12.

Atque tamen in omnibus his civitatibus una erat exceptio, ubi vel in hereditariis bonis immobilibus alienandis heredum proximorum iura cessarent. Legitima enim necessitate — *„aechte Noth“* — cogente, quidquid bonorum alienare licuisse, satis notum est.[1]) Quae an re vera adfuerit, quin singulis in causis iudicis arbitrio fuerit relinquendum, equidem non dubito, quamvis et certae quaedam fuisse videantur conditiones, quas, sive ipsis legibus, uti Lubecae,[2]) fuerint sancitae, sive non, ut Hamburgi atque Bremae,[3]) iudex, ne mores populi laederet, negligere nunquam potuit. Quarum in numero habendae sunt:

1) Captivitas (*„vangniss“*),[4]) ex qua qui sese suosque redimere vult, plenam habet potestatem, bona quoque hereditaria immobilia, vel dissentientibus heredibus, alienandi.

2) Famis. Neque id ad ipsius verbi tenorem coercendum esse videtur. Arbitrio iudicis potius hac in re aliquid dandum erit, ut ex aequo et bono hominis conditionem atque vitam respiciens decidat, utrum re vera alienatio facta sit ad vitae necessitates parandas.

3) Aes alienum gravissimum: qui enim ne a creditore ipso, — quod antiquo tempore in nostris civitatibus valuit, — aut publica in custodia teneatur, aliter evitare non potest, ei vel bona hereditaria immobilia alienare licuit.

Neque vero id solum sufficit, ut singulis in causis hae similesve conditiones probentur,[5]) quin simul constare debet aut probari, alia bona, quibus uti possint, alienantibus omnino defuisse.[6])

[1]) Lub: In antiquissimis statutis non aeque, atque in posterioribus, (cf. Cod. Hach II, 29. n. 6; II, 122; III, 90; R. St. I, 10, 6; *Stein: Abh.* II §. 74) haec exceptio speciatim commemoratur, colligi tamen potest ex Cod. Hach I, 15 coll. cum I, 4 & 5. Si enim legitima necessitate coactus maritus vel aliena, uxoris scil. potest alienare bona immobilia, quis dubitet, quin idem ei liceat in ipsius bonis? Hamb: Stat. a. 1270 I, 8.; 1292 C, IV & XIV. (*Wert einer vrouwen erve mede gheven — — dat erve mag ere man wol setten, — — ane ere vulbort — — ofte he ein bederve man is unde des behuf hebbe;*“ de verbis finalibus cf. *Cropp* II p. 472; contra quem cf. *Baumeister* §. 78 n. 11); 1497 G, V & VII. Bremenses leges hanc exceptionem silentio praetereunt, neque tamen eam huius urbis iuri alienam fuisse, cum in omni fere Germania valuerit, rationique naturali conveniat, putabimus, cf. etiam *Berck* p. 199 i. f.

[2]) cf. Cod. Hach I, 15; II, 18; III, 6; R. St. I, 5, 9.

[3]) cf. *Trummer: Erbrecht* I §. 102; *Baumeister* §. 115. Nr. III; *Berck* p. 248 sq.

[4]) Quae fuerit haec captivitas vid. ex Cod. Hach II, 11; III, 153.

[5]) De legitima necessitate Lubecae per sacramentum probanda cf. *Pauli* I p. 117 sqq., Hamburgi per testes (*„erffhaftige Lude“* stat. a. 1270 I, 8; 1292 C, IV; 1497 G, V.) cf. *Baumeister* l. c. not. 14.

[6]) Stat: Lub: Cod. Hach II, 29. (etiam not. 6.); *Stein Abh.* II §. 77.

§. 13.

Praeter ius prohibendi, quominus alienentur immobilia hereditaria, in omnibus harum civitatum statutis ius quoque protimeseos heredibus proximis concessum erat. Praescribunt enim:

a. Stat: Lub: [1]) „Quicunque habet bona hereditaria et proponit ea vendere, primum debet ea offerre proximis heredibus, adhibitis sibi duobus vel pluribus probatis et bonis viris; si heredes emere velint emant, sicut alieni inde offerunt; si non, hereditatem secundum iustitiam civitatis vendant."

b. Stat: Hamb: [2]) et quae ad verbum cum iis conveniunt Brem: [3]) *„So we syn erve vorkopen wil, dat bynnen desser stad unde bynnen dessem wicbelde belegen is,* [4]) *de schal id beden twen synen negesten vrunden, dar syn erve upvallen mach, unde wil it erer nen kopen, so mot he syn erve wol vorkopen deme, de eme dar umme allermest geven will."*

Quantopere hae leges congruant, quis est quin videat, quippe quae omnes de venditione tantum agant — iisdemque personis [5]) ius illud tribuant — atque de eisdem rebus loquantur, i. e. de bonis immobilibus. [6]) Nil igitur interest, utrum hereditario iure in vendentem devoluta fuerint immobilia, necne. Sin autem de hereditariis bonis vendendis agatur, ubi heredes ex iure, de quo supra diximus, omnem illam venditionem impedire possunt, tamquam superfluum ius protimeseos recedit, atque tunc demum reviviscit, ubi illud cessat, aut ob legitimam necessitatem, [7]) aut ob consensum heredum. Equidem enim sic distinxerim: si quidem heredes pure atque specialiter consenserint venditioni, iuri suo protimeseos hoc ipso eos renuntiasse putem. Sin vero generatim in omnes futuras venditiones, licet pure, consenserint, non pariter renuntiasse videntur. Atque quum, qui bona hereditaria venditurus specialem heredum consensum postulat, eo ipso simul iis offerat rem emendam, heredes procul dubio consensum dare possunt ea sub conditione, ut ipsis permittatur in locum emtoris succedere.

§. 14.

Utraque autem illa heredum iura quae antiquitus vigebant nostris temporibus sublata sunt.

Ubique enim contendebant atque enitebantur, ut, quamdiu viveret,

[1]) Cod. Hach I, 5.

[2]) Stat. a. 1270 I, 5 b.

[3]) Stat. a. 1303 O. 68.

[4]) De hisce verbis nostrum finem non tangentibus: *„dat bynnen — belegen is,"* cf. *Trummer Erb.* I §. 77, qui familiarum gentiumque splendorem conservandi studiumansam iis dedisse putat.

[5]) De verbis: *„twen synen negesten vrunden"* cf. e. g. Comm. Nr. 2, 8 & 9 ad Stat. Hamb. a. 1605 II, 8, 3.

[6]) Qua ratione quod attinet ad Stat. Lub. Cod. Hach I, 5. cf. supra §. 9.

[7]) Id quod per se patet; cf. etiam *Pauli* I p. 122 sqq.

domini ipsius, eoque defuncto heredum iura quam plurimum munirentur. [1]) Itaque Lubecae postremo usus forensis, quoad ius prohibendi heredum diu incertus atque inconstans, a senatu firmatus est declaratione authentica (24. *Apr.* 1754.) art. R. St. huc pertinentis: [2]) „*dass unter dem Erbgute das nach lübischen Recht bei dem Erbgang verbleiben muss, alle bewegliche und unbewegliche — — Gueter verstanden werden.*" Sed verborum: „*bei dem Erbgange verbleiben*" ea tantum est significatio: testatorem heredes suos proximos, alio quodam modo de bonis suis mortis causa disponendo, pretio patrimonii, a parentibus cognatisve ab intestato ad ipsum devoluti, privare non debere; [3]) quare ius alienationes onerosi generis, a vivo domino factas, dissensu impediendi heredibus nequaquam amplius competat. Quod autem attinet ad ius protimeseos plurimi codices veterem repetunt legem. [4]) In duobus [5]) autem additamenta invenimus, varia inter se, quorum alterum hanc regulam ad hereditaria tantummodo bona referre videtur, alterum utriusque generis immobilia complectitur. Hanc autem sententiam illi praeferendam esse, non solum incorrupta atque integra interpretatio legum veterum [6]) ostendit, sed recentiora quoque, quae de ea re exstant, praecepta confirmant; dummodo non obliviscamur, in omni Germania illa heredum iura paullatim magis magisque arctiores in fines redacta esse. Expressim etenim statuta a. 1586 praescribunt, ut si bona immobilia hereditaria necessitate legitima cogente vendantur, heredibus ius protimeseos competat; [7]) neque minus veterem illam regulam eiusmodi repetunt: „*Wer frei Erbgut oder liegende Gruende verkaufen will* — —". [8]) Itaque quamdiu ius illud protimeseos viguerit, in utriusque generis immobilibus vendendis valuisse accipiendum est. Sed paullatim et hoc ius ex usu recessisse videtur. [9])

[1]) Quam exigua fuerit domini potestas mortis causa de bonis suis disponendi, ex eo iam colligi potest, ut vel qui bona sua acquisita heredibus proximis relinquere noluerit, summa quadam pecuniae (illis temporibus 8 β 4 d, cf. autem *Stein Abh.* II §. 121), iis satisfacere coactus esset. cf. Stat. lub. Cod. Hach II, 44 n. 7, R. St. I, 9, 2.

[2]) R. St. I, 10, 6.

[3]) cf. *Stein: Abh.* II, §. 62; *Dreyer: Einl. in die lüb. Verordn.* 1769 p. 318; *Pauli* I p. 181 sqq. qui, quomodo paullatim usus ille explicatus sit, quaeque sit ratio eius et legis R. St. I, 10, 6 diligentissime docuit.

[4]) Cod. Hach II, 29; III, 138.

[5]) Cod. Hach II, 29. n. 6 (R = codex Revalensis, de quo cf. Hach l. c. prooemium p. 180, et B c = codex Brokesianus tertius.)

[6]) Cod. Hach I, 5; II, 29; III, 138.

[7]) R. St. I, 10, 6.

[8]) R. St. III, 7, 1.

[9]) Aliter de hoc heredum iure iudicat *Pauli* I §. 16, qui antiquis temporibus tantum in hereditariis immobilibus vendendis proximo heredi ius protimeseos competiisse putat; cf. *Pauli* I p. 127, neque vero nobis obstare videtur lex, qua nititur *Pauli* (Cod. Hach I, 1. verb: „cuicunque vult") quippe quae ius tantum heredum solo dissensu alienationes impediendi in bonis conquisitis excludere vult; recentioribus au-

Hamburgi ius alienationes prohibendi heredibus iam multo prius ademtum erat, quam Lubecae. Nam ius illud, ex antiquo iure hamb. heredibus concessum, in statutis a. 1605 nulla lege repetitum invenimus. Quam peiorem proximorum conditionem paullatim adduxisse videntur Recessus a. 1529 [10]) et 1603, [11]) ubi marito potestas datur, de bonis uxoris immobilibus libere disponendi, neque plus iuris heredibus conceditur, quam in mariti administrationem inspiciendi, et, si forte prodigus exsisteret, in eum animadvertendi „*na vermoege der stadtbok.*" [12]) Quoad autem ius protimeseos statuta recentiora omnino cum antiquis [13]) congruunt. Quamvis enim codices a. 1497 tantummodo de bonis immobilibus non a maioribus delatis loquantur, [14]) tamen, ubi de iure heredum dissentiendi agitur, ius protimeseos nominatim eis servatur, si ob legitimam necessitatem venditio sit facta ideoque ius dissentiendi locum non habeat. [15]) Itaque et in novissimis statutis, ubi de iure protimeseos heredum agitur, utraque immobilia comprehenduntur. [16]) Sed hac quoque in civitate ius protimeseos consuetudine sublatum est. [17])

Statuta denique bremensia omnia idem de heredum iuribus constituunt. [18]) Paullatim vero et hac in urbe iura heredum arctiores in fines redacta sunt. Consuetudine enim atque usu forensi saeculi XVI^mi^, quem Krefftingiana Glossa [19]) nobis exhibere videtur, alienationes bonorum hereditariorum immobilium titulo oneroso factae heredum iure impediri amplius non poterant, medioque saeculi praeteriti tempore bona illa per usum vitae a iuribus heredum omnino liberata esse videntur. [20])

§. 15.

Omnia quae exposuimus, cum ad bonorum ipsorum alienationes tantummodo pertineant aut impediendas aut restringendas, nunc iam ultimo loco paucis videamus, an forte et quanti momenti haecce heredum iura fuerint in debitis aut contrahendis aut contractis. Etenim quo tempore vel maxime florebant ista alienationum impedimenta, liberam certe contrahendi seseque obligandi facultatem nemini sui iuris

tem temporibus maius illud protimeseos ius certe nunquam in usu atque consuetudine fuisse putat. (*Pauli* I not. 311.)

[10]) Rec. a. 1529 art. 30.

[11]) Rec. a. 1603 art. 14.

[12]) cf. *Trummer: Erbr.* I §. 93 sqq; *Cropp II* p. 495 sq.

[13]) Stat. a. 1270 I, 5^b^; 1292 C, I.

[14]) Stat. a. 1497 G, I.

[15]) Stat. a. 1497 G, V.

[16]) Stat. a. 1605 II, 8, 3. Quare et de generalibus priorum legum (not. 14 citt.) verbis quid sit quod miretur *Trummer: Erbr.* I §. 77 non intelligo; cf. etiam *Gries Comm.* I. p. 317 sq.

[17]) *Gries Comm.* I p. 318; *Baumeister* §. 115 not. 26.

[18]) Stat. a. 1303 O. 53; 1428 II, 53; 1433 O. 54. & 1303 O. 68; 1428 II, 41; 1433 St. 45.

[19]) Gloss. Krefft. ad stat. a. 1433 O. 54 p. 147 (cuius verba cf. apud *Berck* p. 237); idem ad St. 10 p. 245; Stat. ref. 160 (cf. *Berck* p. 240.)

[20]) *Berck* p. 238.

masculo videmus denegatam. Sed altera ex parte pro obligationibus iam contractis hereditaria bona immobilia, — nisi forte legitima coegerit necessitas, — sine heredum consensu pignorari non poterant, quoniam pignoratio est alienationis instar; quare fieri potuit, ut in contrahendis quoque debitis iura illa alicui impedimento essent. Altera ex parte nec creditores umquam sperare potuerunt, fore ut ex illis bonis solutionem acciperent, sufficientibus reliquis bonis. Conquisitis autem bonis non sufficientibus, aut bonis hereditariis sive consensu heredum sive legitimam ob necessitatem impignoratis, heredum iura illis bonis alienandis creditoribusque satisfaciendis nullo modo obstabant, etiamsi in alienatione per venditionem facta ius protimeseos heredibus proximis denegandum non erat.

B. Uxori et liberis an competant iura heredum proximorum.

§. 16.

Iurium, quae heredibus proximis competebant, quin maritus quoque de suis rebus dispositurus rationem debuerit habere, quis est qui dubitet; quaerendum autem est, an forte ex ipso matrimonio iura illa aut diminuta aut aucta sint. Qua ratione imprimis inspiciamus oportet, utrum liberis quoque et ipsi uxori iura illa heredum tribuenda sint et quatenus hisce personis competant. Leges autem nostrae fere omnino de hoc liberorum uxorisque iure tacent. [1])

De iure enim atque conditione liberorum sola statuta lubecensia agunt, nominatimque liberis ius proximorum heredum tribuunt. [2]) Quum autem liberi minores patris tamquam veri et legitimi tutoris [3]) facta agnoscere debeant, maiores tantum ius illud heredum exercere potuerunt. [4]) Sed etiam secundum reliquarum civitatum iura, quarum statuta nil ea de re cavent, idem dicendum esse videtur, iura illa, quae in omnibus harum civitatum statutis heredibus proximis legitimis tribuantur, [1]) liberis quoque competere debere, qui semper proximi sint inter heredes legitimos.

[1]) Agunt autem de hoc iure quaedam litterae, quas affert *Pauli* 1) de iure uxoris: *Pauli* I p. 137 sq. 2) de iure liberorum *Pauli* I n. 227, 228. cf. etiam *Pauli* II p. 19, *Baumeister* §. 117 Nr. I; *Berck* quoque p. 244 consentire videtur.

[2]) Cod. Hach I, 15; II, 18; III, 6; R. St. I, 5, 9, quae leges quamvis de immobilibus tantum matris a patre alienandis agant, tamen nulla est ratio, cur nec in patris immobilibus idem valuerit. Qua in re etiam quod attinet ius vetus (cf. §. 14) stat. a. 1586 III, 7, 2 nullam relinquunt dubitationem.

[3]) Cf. *Baumeister* §. 90 princ. & *Pauli* II n. 145[b]; *Lueb. Vorm. Ordn. v.* 1820 §. 2.

[4]) Neque, dummodo ad ipsius scriptoris tempora referatur, oppugnat, quod ait Mevius Comm. ad art. R. St. I, 5, 9. addit: „ex iure lub. quam diu uterque parens vivit, nil iuris habere liberos in bonis communibus, ex quo aut alienationem impedire aut factam revocare liceat.“

[1]) Stat. lub: Cod. Hach I, 5; II,

§. 17.

Ut autem de uxoris iure iudicetur, cuius statuta nullam faciunt mentionem, ius eius hereditarium respiciamus. Ubicunque enim marito defuncto uxor certam hereditatis partem accipit, ad quam in singulis casibus reperiendam nulla maritalium bonorum genera excluduntur, ius quoque habet in mariti bona hereditaria succedendi, saltem reliquis bonis ad supplendam eius portionem hereditariam non sufficientibus. Ubicunque autem iure legitimo in bona hereditaria mariti succedere potest, iura quoque, quae heredibus proximis in iis competunt, legibus non nominatim contradicentibus ei tribuantur. Iam vero omnibus hisce in civitatibus cum ius succedendi uxorium eius sit quam modo diximus naturae, [2]) iura quoque heredum deneganda ei esse non videntur. Neque etiam nobis obiicietur, eiusmodi bona hereditaria mariti, certe liberis tempore soluti matrimonii non existentibus, uxoris in gentem transire potuisse, quae bona ut nomini gentilitio familiaeque principali conserventur, praecipue heredibus iura illa fuerint data. [3]) Iamdudum enim haec illius iuris ratio recesserat [4]) magisque respiciebatur, ne bona illa successioni legitimae subducerentur. [5]) Quamvis autem eiusmodi uxori liberisque in bonis mariti heredum proximorum iura tribuenda sunt, tamen duplici modo matrimonii ipsius potestas quaedam haec iura immutandi cogitari posset. Fieri enim posset, ut aut — si necessitas respiceretur, uxori liberisque tamquam propinquorum proximis praecipue consulendi — maiora quam quae supra reliquis dedimus iura eis tribuerentur, aut — si respiceretur naturalis harum personarum conditio, quippe quum sponte maritus uxori liberisque pater magis haud dubio consuleret quam heredibus suis reliquis et remotioribus — ne illud quidem ius, reliquis heredibus concessum, integrum eis competeret. Utraque vero haec immutatio tunc demum accipienda esset, si aut legibus aut consuetudine indubitate esset statuta; neutra enim praesumenda est. [6])

§. 18.

Adhuc tantummodo locuti sumus de iure uxoris atque liberorum dissensu impediendi, quominus bona hereditaria immobilia a marito et

29; III, 138; R. St. I, 9, 2 & 5; I. 10, 6; III, 7, 1; Stat. hamb: a. 1270 I, 5b; 1292 C, I; 1497 G, I; 1605 II, 8, 3; Stat. brem: a. 1303 O. 53; 1428 II, 53; 1433 O. 54; quibus omnibus legibus iura tribuuntur „*sinen negesten vrunden dar sin erve up vallen mach.*“

[2]) Exceptio fortasse statuenda erit in uxore sine liberis superstite secundum vetus ius bremense, quae initio in mobilia tantum mariti successisse videtur; cf. infra §. 52.

[3]) cf. *Trummer: Erbr.* I §. 82 & 28 (p. 64.)

[4]) cf. *Berck* pag. 244 i. f.

[5]) cf. *Baumeister* §. 117 Nr. 1. i. f.

[6]) Utrum autem maritus tamquam legitimus uxoris curator tunc quoque, ubi de hoc uxoris consensu agatur, munere suo fungi possit, an alius ad hoc ipsum nominandus sit curator, considerabitur, ubi de cura sexus omnino erit agendum. (§. 37.)

patre alienentur. Pariter autem et ius protimeseos hisce personis erit concedendum, si ille bona sua immobilia vendat, [1]) quamvis exercere non possunt, nisi aut uxor bona reservata habeat, aut liberi sint maiores, proprioque fruantur patrimonio, sive ex divisione cum parentibus facta, sive aliunde acquisito.

Atque tamen concedendum erit, licet eiusmodi iis proximorum heredum iura naturali ratione ex integro competant, nec et statutis ullo modo deminuta aut sublata sint, non tantopere ea quam reliquorum heredum iura patrem maritumve de bonis suis dispositurum coercere, quippe qui ex naturali ipsius tamquam familiae capitis conditione magnam habere solet auctoritatem animum eorum ipsius voluntati subiiciendi.

§. 19.

Alteram vero hoc loco ponamus quaestionem, an nulla matrimonii vinculo tribuenda sit auctoritas, qua libera mariti potestas de bonis suis titulo oneroso disponendi coerceatur alio quodam modo, ac per iura modo dicta uxoris et liberorum. Qua ratione duo in nostris statutis occurrunt praecepta, quae illam mariti potestatem non quidem semper minuant et per matrimonium ipsum, sed quibusdam sub conditionibus id efficere possint.

1. Saepenumero enim in publicis civitatis lubecensis scriptis tabulisque mariti bona pro bonis ab uxore illatis ab illo impignorata invenimus. [1]) Neque vero his pignorationibus dicere possumus Lubecae per uxorem maritum, quod attineat ad bona sua, peiorem in conditionem esse redactum. Quamvis enim iis temporibus, quibus uxoris bona, liberis non exsistentibus, pro debitis a marito contractis obligata essent (cf. §. 62.), pignorationes istae saepenumero fieri potuerunt, tamen nec ex legibus debuerunt nec ex consuetudine, quoniam statuta speciatim ea de re praeceperunt: [2]) *Nemand darff* (i. e. debet) *sinem wive brudtsat vorborgen, efte eren frunden so verne alse he sines gudes neen affbringer is unde eres gudes mit anderen wiven dat bewislick is unde nicht wyckhafftich is umme schulde willen, effte besettet mit rechte, unde he se gerne mit sick hebben wil.*"

Itaque hae exceptiones tantum legitimae, quae maritum ad pignoranda sua bona obligant, simul pro illius regulae exceptionibus habendae sunt, non per matrimonium mariti conditionem quoad bona sua propria peiorem reddi. Quae pignorationes Hamburgi pariterque et Bre-

[1]) cf. e. g. *Comm. Meurer* ad Stat. hamb. a. 1605 II, 8, 3.

[1]) *Pauli* II p. 33 sq; e. g. *Oberstadtbuch von* 1364: „H. H. obligavit coram consilio uxoris sue K. hereditatem suam LX Mr. den. quas racione dotalicii accepit cum eadem."

[2]) Cod. Hach IV, 12, quod praeceptum iisdem fere verbis exhibent R. St. I, 5, 10.

mae plerumque [3]) nullius esse potuerunt momenti, quippe quum bona ab uxore in matrimonium illata ex iure successionis, quod hac civitates liberis non superstitibus uxori dant (cf. §. 52.), postea non ita separentur, ut ex eorum deterioratione maius ipsi afferatur damnum et incommodum, quam si ipsius mariti bona deteriora reddita sint. Aliter quidem de pignorationibus illis iudicandum erit tum, quum, quod interdum et ex iure hamburgensi itidem evenit (cf. §. 68.), uxor, quae intulit in matrimonium, ex bonis unitis repetere potest. Sed quamvis hoc casu pignorationes illas non sine momento uxoribus esse posse concedamus, tamen iure statutario hamburgensi legitima carebant sanctione. Praeterea autem, quum repetitiones illae uxori praecipue competerent, si maritus iam ante initum matrimonium obaeratus fuerat, hypotheca illa in bonis mariti incertissimum tantum uxori praebuisset auxilium, quum creditoribus antematrimonialibus mariti praeferri non posset, — id quod iure stat. brem. in pignorandis bonis mariti pro bonis ab uxore reservatis itidem valet atque expressim cavetur. [4])

§. 20.

2. Neque porro sine omni ratione huc referemus praeceptum veteris iuris hamburgensis, [1]) quo praescribitur: „*So wor een man is, de syn wiff ovele handelet ane ere schult, unde dat witlik is den naburen unde guden luden unde deme rade, de man schal sines gudes unweldich wesen,*“ Quibus ex verbis finalibus sequitur omnium bonorum coniugalium administrationem marito ademtam esse. [2]) Etiamsi enim verba: „*sin gud*“ tantummodo ad ipsius mariti bona referamus — id quod mihi quidem necessarium esse non videtur; cur enim non dicamus: „*unweldich sines gudes*“ = „*unweldich des gudes des he weldich was*“!? — tamen qui vel a suis bonis removeri debet, multo magis a bonis ab uxore illatis removendus esse videtur. [3])

Neque deinde aliud ex verbo „*unweldich*“ colligi posse exsistimo, nisi ut marito potestas, quae ei tamquam familiae capiti in coniugalibus bonis competebat, adimatur, ideoque curatori ea tradantur administranda.

[3]) Nam ut infra §. 52 videbimus, aliud fortasse antiquitus viduae sine liberis superstitis fuit ius hereditarium. (cf. e. g. stat. hamb. a. 1270 III, 10 not. c. Var. C. D.)

[4]) *Brem. Erb. & Handv. Ordn. von* 1833 §. 132; (*Ehepacten Ordn. von* 1754 §. 4.)

[1]) Stat. a. 1270 III, 8; 1292 E, VIII; 1497 J, V (cf. 1605 IV, 4, 8,). Cautio quae in stat. a. 1605 III, 1, 14 de bonis ab uxore illatis a marito poscitur, nos non tangit; heredibus enim uxoris datur de restituendis bonis, quorum ususfructus ei ab uxore relictus erat.

[2]) cf. *Cropp* II p. 492 sqq.

[3]) *Trummer: Vortr. Altgerm. Vers. R.* §. 44 sqq. atque praecipue p. 224 sq. haec verba ad mariti tantummodo bona refert, iisque utitur ad defendendam suam sententiam, antiquitus uxorem liberiorem de bonis suis habuisse potestatem.

Quamvis enim causa cognita uxori quoque ipsi, cui adiungendus est curator, administratio bonorum concedi potest, tamen legitime ei nequaquam competit. [4]) Discrepant autem scriptores, utrum secundum hanc legem maritus prodigus ab administratione removeri possit, [5]) necne [6]). Magisque mihi affirmanda esse videtur haec quaestio, quoniam tunc praecipue utilitas huius institutionis erit cognoscenda, qua uxori victus servetur, simulque maritus puniatur. Idque eo magis accipiendum est, quum et in sequentibus huius legis verbis eo respiciatur, quomodo uxori iniuste atque male tractatae, alimenta victusque et reliqua ad vitam necessaria serventur.

§. 21.

Per utrumque hoc praeceptum maritum de bonis suis dispositurum aut obligationes suscepturum coerceri, per alterum directo per alterum indirecto, negari non potest; neque vero ipso iure per matrimonii vincula mariti conditionem peiorem reddi ulla e lege statutorum hamburgensium aut lubecensium [1]) patet. Quare, parvis illis atque levibus exceptionibus omissis, mariti conditionem durante matrimonio iure ac legibus eandem fuisse dicemus, quae fuit ante nuptias. [2]) Atque idem dicendum est iure statutario bremensi, quum nec leges obstent nec consuetudo ususque fori oppugnare videatur. [3])

Tit. II.

De mariti debitis quatenus uxoris bona afficiant.

§. 22.

Duplex quidem hoc loco sese nobis offert quaestio. Altera enim ex parte quaeritur, quanta sit mariti potestas uxoris bona ex arbitrio

[4]) cf. *Cropp* l. c.; contra cf. *Trummer* l. c. §. 45 i. f. & §. 57, qui secundum ipsius de conditione uxoris sententiam, administrationem omnium bonorum uxori tamquam legitimam permittit — ex tempore recentiorum statutorum adhibito curatore, — ante hoc tempus uxori soli.

[5]) *Trummer* l. c. §. 44 §. 46 not. 4.

[6]) *Cropp* II p. 492 sq.

[1]) Non obstat quod saepenumero in libro civitatis *(Ober-Stadtbuch)* in bonis immobilibus mariti non hereditariis alienandis uxorii etiam consensus mentio fiat — cf. *Pauli* I p. 138 sqq. — quum fieri potuerit, aut ut interdum ob hypothecam uxori pro bonis illatis a marito in bonis suis datam (cf. supra §. 19) consensus ille uxoris necessarius fuerit, aut ut saepenumero sive ex errore iuris sive nimia quadam diligentia intervenerit.

[2]) Liberam illam conditionem nec *Trummer* marito denegare videtur, quum sententiam suam magis eo probare studet, ut doceat iura uxori in bonis unitis competentia nequaquam per exceptionem concessa esse, sed conditionem eius naturali ratione conditioni mariti parem paullatim moribus in augustos hos fines redactam esse; cf. *Trummer: Vortr. Altgerm. Pers. R.* §. 50 & 54 i. f., ubi ipse inde sibi fuisse exitum affirmat.

[3]) Nam stat. a. 1303 St. B. 6; 1428 II, 18; 1433 St. 10 tantummodo de dationibus agunt, quae ad nostrum finem omnino non spectant.

alienandi; altera ex parte, an creditores mariti inde solutionem petere possint atque accipere. Utrumque quin convenire et congruere possit, nemo dubitabit, quamvis ut in unum conveniat necesse non est. Cur enim fieri non possit, ut uxoris bona quibusdam sub conditionibus non teneantur creditoribus mariti, ipsi vero maxima, quin ea detur potestas in bonis uxoris, ut iis uti possit ad solvenda ipsius debita?! [1])

Nam quae iura marito in uxoris bonis competunt, non ex eadem profluunt causa, ex qua creditorum. Illa enim mariti potestas incrementum atque augmentum est iuris, quod in bonis coniugalibus administrandis [2]) marito tamquam familiae capiti detur necesse est; cuius augmenti rationem in eo ponamus, quod ab utriusque coniugis bonis matrimonii onera ferenda sint. Potest igitur maritus intra matrimonii fines et alienare bona ab uxore illata, et uti eis ad solvenda debita, quae intra hos fines contraxerit; potest et hypothecas in iis constituere, quas uxor agnoscere debet. Neque vero ex naturali coniugum conditione, quippe quae in pietate atque confidentia posita sit, opus est marito, singularum dispositionum specialem aliquam causam probare, ex qua pateat, intra matrimonii fines se constitisse, — quamvis erunt nonnulla dispositionum genera, quae omnimodo iura marito concessa excedunt — sed id tantummodo inde sequitur, ut si opus fuerit iudex pro arbitrio suo uxori auxilium ferat per decretum, quo maritus tamquam prodigus administratione bonorum coniugalium interdicatur. [3]) Omnino aliud autem est fundamentum iuris, quo creditores maritales solutionem petant ex bonis ab uxore illatis, cuiuscunque fuerint generis. Positum enim est in individuo vitae consortio, ex quo uxor secundum conditionem eius inferiorem et in secundis rebus et in adversis mariti fortunam sequitur. Unde proverbia illa: „*die dem Manne trauet, trauet der Schuld*," — „*wem ich meinen Leib gönne, dem gönne ich auch mein Gut*." [4])

Quare non solum nobis quaerendum esset, quaenam iura in bonis ab uxore illatis statuta nostra marito concedant, sed etiam an et quando creditores proprio iure ex bonis uxoris solutionem petere possint. At vero hanc alteram quaestionem, cum statuta nostra, lubecensia praeprimis, soluti matrimonii conditiones atque creditorum in bona coniugalia vim multo maiori diligentia expliceut quam constantis, et quum ex viduae obligatione proficiscentes facilius et de uxoris iudicare possimus,

[1]) cf. e. g. infra §. 60, quid stat. lub. recentiora constituant, liberis non exsistentibus.

[2]) Quare et ius illud non complectitur bona uxoris reservata, etiamsi administrentur a marito, nec non tutelae eius legitimae subiecta sint. Non enim ipso iure administrationem eorum vindicare potest; *Kraut Vormundsch. d. deutschen R's. Th. II. Götting.* 1847 p. 501; *Pauli* II p. 51 sq; & *Oberstadtbuchsinscription* v. 1346 (cf. *Pauli* II p. 46.)

[3]) *Gerber Pr. R.* §. 231. not. 5.

[4]) *Gerber Pr. R.* §. 231. not. 13. — Quam utriusque iuris diversam originem negligere videtur *Harder* l. c. p. 82 sqq.

in inferiorem dissertationis partem differre ratius duximus, ubi de ipso viduae officio erit agendum. (cf. §. 77. — §. 80.)

§. 23.

Quoad autem ius mariti de bonis uxoris disponendi

1. Statuta lub. [1]) praecipiunt: „Vir non potest impignorare vendere vel dare uxoris suae immobilia cum quibus ipsa ipsi adhaesit (*torfhach egen — eghene ligghende gronde — dat he mit sineme wive hevet ghenomen. — Liegende Gründe und stehende Erbgüter, die ihm von seinem Weibe zugebracht worden.*) praeter eius voluntatem et liberorum, si liberos habuerint, nisi legitima necessitate cogente.“

2. Statuta antiquissima hamb: [2]) constituunt: „*Wert ener vrouwen erve mede geven, also men se to manne gift, ofte wert mit erme gude erve koft, dat erve mach ere man nicht*[3]) *vorsetten, ofte uplaten ane ere vulbort*“ etc. Quod praeceptum utraque statuta sequentia [4]) ita immutant: „— — *dat erve mach ere man wol setten edder sellen efte uplaten ane ere vulbort unde iawort, wente he en bederve man ys, unde he des behoff hebbe.*“ Statuta autem novissima [5]) nullam huius regulae faciunt mentionem. [6])

3. Statuta brem. nil omnino ea de re cavent. [7])

§. 24.

A. De potestate igitur ex iure lub. marito in bonis uxoris concessa acturi imprimis inquiramus oportet:

Utrum ius dissentiendi in legibus modo dictis uxori tamquam heredi proximae concedatur an tamquam dominae? [1]) Qui illam defen-

[1]) Cod. Hach I, 15; II, 18; III, 6; R. St. I, 5, 9.

[2]) Stat. a. 1270 I, 20; cf. etiam generalia verba, quibus inscribitur hic locus.

[3]) De lectione huius legis cf. *Cropp* II n. 81; cf. etiam editionem statutorum Lappenbergianam.

[4]) Stat. a. 1292 C, XIV; 1497 G, VII.

[5]) Recessus a. 1529 art. 30; a. 1603 art. 14 (cf. *Trummer E. R.* §. 93) quamvis ius quoque mariti de bonis uxoris disponendi attingant, tamen imprimis ius tantum proximorum heredum in istis bonis constituere volunt et quid de illo sentiant, minus perspicue intelligendum est.

[6]) Non enim huc pertinet lex II, 8, 3: „*Wer sein Erbe, — — so er geerbet, befreiet, oder auch mit seinem wohlgewonnenen Gelde an sich gebracht, verkaufen will, der soll es — — den beiden seiner nächsten Freunde darauf sein Gut fallen mag, anpräsentiren, —;*“ nam verba: „*Erbe so er befreiet*“ non ad omnia bona illata referenda esse videntur, sed ad ea quae per mortem uxoris sua reddita sunt, quum non solum sua appellentur, id quod non tantam haberet auctoritatem (cf. e. g. §. 20), sed etiam suis cognatis proximis ea offerre debeat, neque tamen per illationem dominus eorum factus sit; cf. autem *Cropp* II p. 474; *Gries Comment.* I p. 318.

[7]) Quum stat. a. 1303 St. B. 6; 1428 II, 18; 1433 St. 10 nostrum finem non tangant.

[1]) Priorem sententiam defendit *Kraut*:

dunt sententiam hac ipsa imprimis nituntur lege, ubi consensus uxoris liberorumque, si quas habuerint, commemoretur. Nam ubi maritum dominum factum esse acciperemus, lex tantummodo mentionem faceret consensus heredibus proximis in bonis immobilibus hereditariis concessi. [2]) Liberis enim superstitibus uxor et liberi proximi essent heredes (cf. infra §. 51). Liberis autem non exsistentibus, uxor sola esset heres proxima, quippe quae, quum marito praemortuo bona omnia illata restituenda sint (cf. §. 52), non tamquam sua sed hereditario iure ea reciperet. Itaque nulla tunc hac in lege reprehendenda esset indiligentia aut praetermissio. [3]) Sin autem uxori dominium remansisse putamus, lex nostra de consensu uxoris agit tamquam dominae, atque praeterea, liberis exsistentibus, de consensu heredum proximorum, i. e. liberorum; de consensu autem proximorum uxoris cognatorum non ageret, quamvis liberis non exsistentibus in alienandis immobilibus hereditariis deesse non debuit. Quaerendum igitur est, utrum haec omissio tam singularis sit atque tam inaudita, ut ad opinionem nos adducere possit, moribus illius temporis alienissimam, certisque rationibus nequaquam munitam: dominium bonorum, quae uxor in matrimonium intulerit in maritum transiise? Idque negandum esse videtur. [4])

Si enim lex nostra uxoris tantummodo consensus faceret mentionem, altera ex parte nec mirari possemus, quod ius illud mulieri tribueretur, quoniam non minora iura ei tamquam dominae quam heredibus suis proximis tribui possent; [5]) neque altera ex parte exsistimaremus, consensum proximorum heredum (sive essent liberi sive alii uxoris cognati), omnibus in immobilibus necessarium, per illum dominae consensum supervacaneum inutilemque esse redditum; quare si uxoris consensus solus hac in lege commemoratus esset consensus heredum proximorum nihilominus accedere deberet.

Arctiores igitur in fines redacta quaestio est haec, an omni careat ratione, si statuta lubecensia, omisso consensu reliquorum heredum, de liberorum tantum dissentiendi iure loquantur? Quod an accipiendum sit

Form. II p. 510 sqq; alteram *Albrecht: Gewere* p. 258 sqq; ad eundem finem etiam pervenit *Pauli* II p. 26.

[2]) Quum enim nonnisi ex ea causa ius illud liberorum oriri possit, quod sint heredes proximi, neque ius proximorum heredum, nisi specialiter cautum sit, fines quos supra statuimus excedere possit, neque ulla sit ratio, quare ius illud liberorum (i. e. proximorum parentum heredum) maius sit in bonis maternis quam in paternis: — ius dissentiendi hac lege liberis concessum fines, quos supra heredum iuribus dedimus, non excessisse, ideoque de hereditariis tantummodo bonis immobilibus hunc locum agere putandum est. cf. etiam *Pauli* I p. 76 sqq, II p. 16 sqq; *Kraut* l. c.

[3]) cf. *Pauli* II p. 19.

[4]) Eandem sententiam defendit: *Behn, Versuch über die ehelichen Güterrechte nach den älteren Codices des Lüb. Rechts. Lübeck* 1830. §. 6. (p. 12 sq.)

[5]) Errare quidem videtur *Kraut* l. c. dicens, rationem esse non posse, cur quoad domini dominaeve consensum distinguatur inter bona hereditaria et conquisita.

haud scio. Si enim consideramus, quanta sit patri tamquam familiae capiti naturalis in liberos auctoritas, neque negligimus, quam raro accidat, ut liberi concordibus atque consentientibus parentibus [6]) repugnaturi sint, facile fieri potuisse intelligemus, ut liberorum consensus omnino necessarius non haberetur, praesertim quum pater minorum liberorum consensum tamquam legitimus tutor tacite suppleret. Quare quod liberis ius illud praeter consensum uxoris per statuta lubecensia nominatim reservetur, nequaquam ratione carere videtur.

§. 25.

Itaque apud uxorem dominio remanente, et quum tamquam domina iure dissentiendi fruatur, altera consideranda est quaestio, utrum hoc ius mulieri competat in omnibus, quae intulerit immobilia, an tantummodo in iis, quae simul sint hereditaria? Quae quaestio, de qua statuta omnino nil cavent haud sciam an affirmanda sit, quum in alienandis bonis hereditariis nominatim uxori ius dissentiendi tribuatur (cf. supra §. 4. not. 2), id quod factum non esset, si iam per se omnibus in bonis immobilibus, quae intulit, idem ei competiisset.

Neque etiam dicendum est: ,mulieri si domina bonorum immobilium maneret, ideo in omnibus his alienandis dissentiendi ius concedi debere, — quod tunc demum accipiendum esset, si etiam in reliquis bonis alienandis idem ei esset ius dissentiendi. Quod nemini placet. Nihiloque magis, ut maius illud ius mulieri in bonis immobilibus concedamus, in bonis mobilibus denegemus, eo adduci possumus, quod bona immobilia alienari non potuerint, nisi consentiente eo, cui in libris heredetariis civitatis adscripta sint. Iure enim lub: immobilia uxoris (etiamsi sint hereditaria) marito adscribebantur. [1]) Neque autem hac in quaestione decidenda negligamus institutionem quandam veterem, quae, quamdiu heredum iura, vigebat. Commercium enim in dies magis efflorescens liberrimam marito vindicabat potestatem, ita ut etiam in hereditariis uxoris bonis alienandis heredum iura non obstarent. Quare, si uxor eiusmodi bona aut statim aut postea in matrimonium intulit, nominatim saepe constitutum est, ut libere ea posset maritus alienare. Idque appellabant: „*Erve like kopschatte geven*", [2]) verbisque ad id designandum utebantur: „ut iis uti possit tamquam mobilibus (s. mercatoriis) bonis suis etc;" [3]) quod quam frequenter factum sit, inde optime intelligere

[6]) Uxore enim non consentiente, liberorum consensus omnino respiciendus non erat.

[1]) cf. inscriptiones quas affert *Pauli* II n. 13—17 & 19.

[2]) Cod. Hach II, 17. Idem etiam est sensus legis III, 204, quamvis oppugnare videntur verba ipsa. Nam hac in lege verba: „*like kopschatte*" supplenda sunt, quum non solum huius ipsius legis vis atque voluntas hoc requirat, sed alioquin etiam Cod. Hach III, 6 omni careret ratione. Quod idem accipiendum est in lectionibus, quas exhibet Cod. Hach II, 17, not. 2; cf. etiam *Behn: Versuch* §. 8 not. 60.

[3]) cf. e. g. inscriptiones quas *Pauli*

possumus, quod postea speciatim caveri solebat, si forte bona aliqua hereditaria maritus non „ *like kopschatte*“ accepit. [4])

Alia quidem praecepti de immobilibus hereditariis „*like kopschatte*“ dandis in statutis recentioribus est forma: [5]) „*Nimmt ein Mann eine Frau zu der Ehe mit Erbgütern, welche ihm ihre Freunde aestimiret und an Geld gesetzt fahrende übergeben; so soll der Mann nach der Zeit mächtig sein, solche Erbe und Gueter zu verkaufen und zu verpfänden wem er will, nicht anders als sonsten Kaufmannswaaren;*“ — quae tamen verborum immutatio, orta ex similitudine, quae erat inter hanc iuris stat. lub. consuetudinem, et taxationem aestimationis causa iuris Romani, ius ipsum vetus immutasse non videtur.

Quaeratur autem oportet, utrum si hereditaria uxoris immobilia marito „*like kopschatte*“ illata erant, dominae quoque ius dissentiendi, per leges supra (§. 23.) dictas in bonis hereditariis immobilibus concessum una cum heredum consensu sublatum sit. Cui quaestioni respondendae maxima esse potest auctoritas et in illa, quam supra posuimus, decidenda. Ubi enim in alienatione bonorum, in quibus heredum iura sublata erant, uxoris consensus nihilominus necessarius erat, idem procul dubio etiam in iis accipiamus, in quibus iura illa nunquam valuerant.

Inscriptionum autem, quas hac de re in libris publicis invenimus, [6]) aliae consensus uxoris in alienandis eius bonis immobilibus mentionem faciunt, aliae non faciunt. Inquiramus igitur oportet, utrae sint praeferendae? Qua ratione, — ut omittamus, harum multo maiorem esse numerum, — haud scio an magis sit accipiendum, interdum ex nimia quadam diligentia uxoris consensum accessisse licet haud necessarium, quam necessarium fuisse et tamen toties esse omissum. Neque enim, ut inscriptiones illas consensum commemorantes praeferamus, eo commoveri possumus, quod rationem dandi consensus addant. [7]) Nam ut accipiamus, verba illa rationis causa addita esse, necesse non est, sed etsi essent, etiam de ratione interpretari possemus, ex qua consensum uxoris necessarium esse per errorem putaretur. Praeterea etiam commemorandum est, in omnibus illis insriptionibus bona illa mobilibus bonis aequiparari, in quibus alienandis nullus uxoris requirebatur consensus.

Itaque quum consensum uxoris necessarium non fuisse accipiamus, id unum dicendum esse videtur, institutionem illam sententiae

II p. 20—23, nec non not. 11, 14—16 testamentumque Warendorpii, ibid. not. 19 cit. affert; quare inepta esse videtur lectio nostrae legis quam exhibet codex Uffenbachianus cf. Cod. Hach II, 17 n. 6.

[4]) cf. *Pauli* II p. 17.

[5]) R. St. I, 5, 8. Quae sit huius et insequentis legis coniunctio (exceptionem enim exhibet R. St. I, 5, 8, quamvis antecedat regulam) cf. *Pauli* II p. 27 sq. Errare videtur de praeceptis quae spectant ad „*Erve like Kopschatte*“ *Behn: Versuch* §. 8, p. 25.

[6]) cf. *Pauli* II p. 20 sqq.

[7]) cf. *Pauli* II p. 23.

nostrae de uxoris consensu nequaquam certe obstare. Atque tamen ex ea vel argumentum quoddam licet levissimum deducere fortasse possumus, quod uxor non in omnibus immobilibus a marito alienandis ius dissentiendi habuerit. Nam et leges [8]) et inscriptiones supra allatae hereditariorum tantummodo bonorum faciunt mentionem, quamvis nemo dubitabit, quin, si maius illud dissentiendi ius uxori competiisset, in omnibus immobilibus simile pactum validum fuisset. Ineptum enim esset, marito non eadem iura in conquisitis uxoris bonis praeberi potuisse, quae in hereditariis, si „*like kopschatte*" data erant. Sin autem et validum fuisset illud pactum, atque ad liberam marito potestatem parandam necessarium, mirari saltem possemus, cur nusquam nobis occurat, quamvis non desint documenta, quibus immobilia conquisita uxoris marito adscribuntur.

§. 26.

Quum autem eiusmodi altera ex parte in dies magis augeretur mariti potestas, altera ex parte documenta quaedam reperiuntur, [1]) quibus maritus promittit, nullo modo se immobilia ab uxore illata durante matrimonio alienaturum esse. Cuius pacti quanta fuerit auctoritas in bonis immobilibus, quae sine consensu uxoris maritus alienare potuit, facile intelligitur. Neque vero etiam in bonis immobilibus hereditariis, quae, nisi legitima cum coegerit necessitas, sine uxoris consensu alienare non potuit, omne ei deesse videtur momentum; quoniam ius legitimum mulieris per naturalem mariti auctoritatem facile annihilari posset. [2]) Quibus promissionibus igitur intervenientibus omnis alienatio bonorum immobilium ab uxore illatorum per maritum facta aut inanis est aut rescindi potest ab uxore.

§. 27.

B. Statuta hamb. vetera praecipiunt, maritum sine uxoris consensu non posse alienare bona eius immobilia. [1]) Quamvis enim statuta tantummodo loquantur de bonis immobilibus hereditariis, iisque quae ex uxoris facultatibus [2]) comparata sunt, tamen idem quoad omnia uxoris bona immobilia valuisse, ex iis ipsis verbis patet. Nam pro certo habendum est, in immobilibus, quae non hereditaria erant, maritum maiorem potestatem non habuisse quam in bonis, quae ex facultatibus

[8]) cf. enim *Pauli* II p. 16 i. f.

[1]) cf. *Pauli* II, p. 26 sqq.

[2]) cf. *Pauli* II, p. 26 sqq.; qui, secundum sententiam suam de mulieris dissentiendi iure, aliter iudicat in bonis, quae non sunt herdeitaria.

[1]) cf. *Baumeister* §. 78 n. 3 sqq.

[2]) Generaliter enim dicitur: „*mit erem Gude*"; quare non solum, quae ex hereditariis bonis mobilibus uxoris acquisita sunt immobilia quoad consensum uxoris paria habenda sunt hereditariis.

[3]) Equidem non intelligo, qua ratione *Trummer*, *Vortr. Altgerm. Pers. R.* p. 259

uxoribus liberae ipsius potestati subiectis paraverat. [3]) Quaeratur autem oportet, unde maius illud uxoris ius sit ortum? Non enim ex uxoris dominio originem ducere potuit, quum in mobilibus uxoris bonis a marito alienandis ei non competat, quamvis, quatenus agatur de dominio, inter mobilia et immobilia nequaquam distinguatur. [4]) Neque inde profectum esse videtur, quod eadem uxori tamquam dominae tribuenda sint iura quae heredibus proximis. Tum enim multo maius concessum esset ius mulieri, quae omnes bonorum immobilium alienationes dissensu impedire potuit, quam heredibus, qui exceptis bonis hereditario iure ad uxorem devolutis tantummodo in vendendis bonis immobilibus uti potuerunt iure protimeseos. Sed et ridiculum paene fuisset, uxoris reliquorumque iura eiusmodi aequiparari, quia uxori ius protimeseos nil fere profuisset illis temporibus, quibus uxores bona sibi reservare non solerent (cf. supra §. 6.). Hamburgi quoque uxoris bona immobilia marito adscribebantur in libris hereditariis [5]), quare nec hac ex parte ulla inveniri potest ratio, cur in omnibus uxoris bonis immobilibus consensus eius requiri debuerit.

Sed magnum erat illorum temporum studium, ut immobilia quam plurimum fieri posset gentilibus servarentur. Cui quamvis desiderium liberrimae de bonis suis disponendi potestatis obstaret, indeque paullatim iura heredum diminuerentur, tamen semper solius domini, non aliorum, quibus in bonis eius iura quaedam competerent, augenda videbatur potestas; quoniam extranei magis quam dominus ipse studium illud negligerent. Itaque quum bona immobilia uxoris alienandi potestas daretur marito, qui facile posset adduci, ut uxoriae gentis saluti non sufficienter rationem haberet, in alienandis uxoris immobilibus dominae consensus requirebatur. [6]) Heredum autem iura, quaecunque erant, per consensum illum uxoris sublata non esse, ex eo iam, quod supra (§. 24.) de statutis lubecensibus diximus, intelligi potest. [7])

§. 28.

Medii temporis statuta ius mulieris aliquanto minuentia praecipiunt, ut maritus si legitima coactus sit necessitate [1]) bona uxoris immobilia etiam dissentiente ea possit alienare, — dummodo ita in administrandis

absurdum appellet eum, qui sponte iuri renuntiet, praecipue quum saepissime marito maioris esse possit momenti, immobilia possidere, quam liberam bonorum mobilium uxoris habere potestatem.

[4]) Errat *Trummer* l. c. p. 258 dicens, hac ex ratione praeceptum illud explicare Croppium; quum e contrario *Cropp* II p. 511 dicat mulierem dominam esse, quoniam ius illud dissentiendi ipsi concessum sit. — Eandem sequitur sententiam *Harder* l. c. p. 38 sqq.

[5]) Aliter quidem iudicat *Cropp* II n. 88; cf. autem *Baumeister* §. 78 n. 12.

[6]) cf. *Trummer* l. c. p. 259.

[7]) cf. etiam *Harder* l. c. p. 43.

[1]) cf. *Cropp* II p. 473. Neque tamen exsistimaveris per haec statuta exceptionem

bonis sese habeat, ut mulieri iusta causa non sit, ex qua, ut ab administratione maritus omnino removeatur, possit petere. [2]) De consensu heredum proximorum hoc loco idem dicendum est quod supra (§. 27. i. f.). Quare tunc demum consensus eorum impetrandus non est, quum legitima necessitas maritum cogeret. Quamvis enim in muliere non pariter accipienda fuisset legitima necessitas, tamen, quatenus agatur de heredum uxoriorum iuribus, maritus omnino in mulieris locum successit. Ex statutis demum recentissimis maritum liberam prorsus uxoris immobilia alienandi potestatem habere iam supra (§. 23.) vidimus, quamvis uxori, quae bona quaedam habuit reservata, ius protimeseos non magis denegandum erat, quam heredibus. Postremo autem commemorandum esse videtur, etiam secundum ius hamburgense saepe marito immobilia uxoris ita esse data, ut ipsis pro mobilibus sive mercatoriis uti ei liceat, [3]) quod si sine uxoris consensu factum est, heredum tantummodo proximorum iura sublata sunt, ita ut in illis quoque bonis alienandis, uxoris consensus accedere debuerit. [4])

§. 29.

C. Statuta bremensia ipsa quidem, ut supra (§. 23.) diximus, nil de ea, quam hic tractamus, quaestione constituunt; sed ex decisione quadam iudiciali anni 1343 [1]) intelligimus, uxoris consensum in omnibus eius immobilibus per maritum alienandis necessarium fuisse. Quantamcunque autem auctoritatem huic decisioni tribuamus, paullatim hic quoque eo deventum est, ut sublato heredum iure maritus nullo modo videatur impeditus, quominus uxoris suae bona immobilia libere alienet. Quod autem attinet ad immobilia ex uxoris facultatibus emta, ideoque collaborationi adnumeranda, quarum statuta itidem nullam faciunt mentionem, liberam certe marito alienandi facultatem tribuere licet quamdiu contrarium evidenter non sit probatum, qua ratione analogia singularis illius (cf. §. 23.) statutorum hamburgensium praecepti sufficere non potest. [2])

illam esse institutam, sed iam dudum nota atque usitata tunc demum legali sanctione munita est. Quare haud sciam an hoc loco Baumeisterii (§. 78, n. 11) sententia reprehendenda sit, qui secundum interpretationem verborum: „*unde he des behoff hebbe*" l. c. datam, ita per hanc legem mariti conditionem liberiorem redditam esse putat, ut non solum legitima necessitate cogente, — id quod semper taciteque valuerit — sed etiam ob utilitatem evidentem maritus uxoris bona libere alienare potuerit. cf. supra §. 12.

[2]) cf. *Cropp* II p. 473.

[3]) cf. Acta c. C. 172, 1, quae affert *Baumeister* §. 78, n. 9.

[4]) Quem singularem iuris hamburgensis usum respicientes veram cognoscemus auctoritatem litterarum quas exhibet *Baumeister* l. c. n. 9.

[1]) *Schede v.* 1343 No. 182. (*Oelr.* p. 240). *Berck* n. 242; *Donandt* l. c. II p. 125 n. 35; (domus enim de qua hoc loco agitur nec hereditaria erat mulieris, nec ex bonis ab uxore reservatis fuisse videtur.)

[2]) Id quod putat *Berck* n. 241a.

§. 30.

Absolutis singulis omnium statutorum praeceptis, reliquum est, ut videamus, quomodo haec omnia proficiant in diiudicandis mariti debitis. Iam vero patet, nunc quidem et iam diu omnibus in his civitatibus marito, nisi specialiter aliud per pacta cautum sit, eam esse datam potestatem in universa uxoris bona, sive sint hereditaria sive acquisita, sive mobilia sive immobilia, ut, quocunque tempore uxor illa in matrimonium intulerit, [1]) debitis suis possit impendere solvendis atque alienare sine contradictione qualibet. Neque hic distinguendum est inter debita durante matrimonio et ante nuptias contracta, — quod si esset maritus nova debita ineundo atque antematrimonialia solvendo, haec in matrimonialium formam posset redigere.

Priorum autem temporum plane alia erat conditio. Tunc enim, nisi legitima cum cogeret necessitas, [2]) immobilibus uxoris bonis hereditariis secundum statuta lubecensia, ex reliquarum civitatum iure omnibus immobilibus sine ipsius heredumque eius (si quidem bona erant hereditaria) consensu ad sua solvenda debita uti non potuit.

Quibus autem in finibus maritus uxoris bona alienare potest, in iisdem potest et impignorare. Neque uxor impignorationes illas impugnare potest, licet postea fortasse (cf. infra §. 60.) nisi haec impignoratio intervenisset, creditores bona sua aggredi non potuissent. Contra autem fieri potest, ut pignorationem eam sine ipsius consensu factam impugnet uxor, quamvis creditores mariti bona uxoris, etiam non interveniente impignoratione, aggredi possunt.

Cap. II.

De uxoris debitis.

§. 31.

De mulierum debitis acturi, seposita ad tempus, quae sit mercatricium liberior conditio, antequam ad ea accedamus, quae de solis uxoribus valent, paucis videamus, an forte sint, et quaenam sint omnium mulierum in contrahendis debitis impedimenta. Neque repetam, quae iam de heredum proximorum dicta sunt iuribus, quippe quae mulieris cognatis atque mariti aeque competant. Sed in ipso mulierum sexu multis in locis impedimentum aliquod positum est, quod utrum et quatenus his quoque in civitatibus notum fuerit, breviter consideremus, ubi

[1]) Quare excipienda sunt bona ab uxore reservata licet marito administranda data fuerint.

[2]) Legitima autem necessitas iam tum habenda est, quum reliqua bona non sufficiant. Quare non obstat stat. hamb. a. 1270 VI, 7; 1292 E, XVI; 1497 J, XVIII; *Cropp* II p. 475 sq.

etiam evitari vix poterit, quin singulare illud ius, ex quo creditori, qui a muliere solutionem impetrare non potest extimam vestem ei auferre licet, paucissimis attingamus, quamvis ceteroquin nostrum non est describere formam atque rationem, qua alia aliis temporibus ex iure statutario civitatum hanseaticarum creditoribus et fuerit et sit satisfaciendum.

Tit. I.

De uxoris quae non est mercatrix conditione.

A.

De cura sexus eiusque in obligationes valide a feminis suscipiendas vi.

§. 32,

Cura sexus quin statutis lubecensibus nec non hamburgensibus non ignota sit, nemo est qui dubitet. Neque vero quoad statuta bremensia idem inter omnes constat. [1]) Semper autem plerique scriptores etiam Bremae mulierum curam obtinuisse affirmaverunt. [2]) Multaeque sunt rationes huic sententiae assentiendi. Nam ut taceam prioribus temporibus ubivis Germaniae viguisse hanc institutionem, unde nec bremensi iure eam alienam fuisse existimemus, [3]) statuta ipsa quamvis specialiter curam sexus non pronuntient, tamen cum nonuullae leges [4]) ius actionis velint pendere ex eo, ut in negotio ex quo agatur curator adhibitus sit, argumentum non leve suppeditant, mulieres bremenses sub cura sexus fuisse. Neque solum permultis actibus veteribus huius sententiae veritas confirmatur, [5]) quin ,,ipsum senatum curam sexus agnovisse docet sententia 1555 lata.“ [6]) Maximum autem momentum tribuendum est Glossae Krefftingianae, [7]) „*dass eine Frawe — — wo sie der Kaufman-*

[1]) Non fuisse Bremae mulierum curam contenderunt in primis: *Did. Smidt* in meditatione de cura mulierum bremensium, quam *Gildemeister Beitr.* II, No. I, edidit atque prooemio adornavit, Smidtii sententiam impugnans, quam autea ipse comprobasse videtur; cf. *Gildemeister* spec. leg. p. 75: „Bremae mulieres a cura illa immunes esse egregie demonstravit — *Smidt* — in meditatione inedita, et quamvis vestigia eius adhuc occurrant, nihilo tamen minus ex actibus sine curatore scriptis nec unquam pro invalidis habitis docet curatorum auctoritatem non esse necessariam“; postea autem in prooemio citato p. 48 sq. docet eo quod nonnullis in actibus curatoris adhibiti mentio facta non sit, nequaquam eum adhibitum non esse posse colligi.

[2]) cf. e. g. Gl. Krefft. ad stat. a. 1433 p. 128; cf. etiam scriptores, quos nominat *Berck* p. 206.

[3]) *Gildemeister* spec. leg. p. 75: „unde notissima feminarum perpetua tutela originem duxit, quae quidem hodie obsoleta quibusdam in locis est, alibi nec absque ratione expresse sublata est, sed veteribus temporibus, quantum conjectare possumus, omni Germaniae placuit“; cf. etiam eundem prooem. p. 6. sq.

[4]) cf. Stat. a. 1303 O. 15 & 46; 1428 III, 32 & 35; 1433 O. 38.

[5]) cf. *Gildemeister* prooem. p. 9 qqs.

[6]) cf. *Gildemeister* prooem. p. 41.

[7]) cf. *Berck* p. 203.

schaft nicht zugethan, ohne ihres Mannes oder Vormund Wissen und Vullbord von nichts ansehnliches — — bestendiglich contrahiren noch liegende Gueter verkaufen oder alieniren, vielweniger vergeben moege." [8])

§. 33.

Sed iam paullo diligentius statuta ista hamb. et lub. respiciamus, ut cognoscamus, quatenus mulieres curae sexus subiectae sint. Qua ratione quaeramus oportet:

1. in actibus iudicialibus, sive sint mere processuales, sive ad alia negotia pertineant interveniente iudice ineunda, an curatorem adhibere debuerint mulieres? Quam quidem quaestionem, in omnibus mulierum contractibus si opus fuerit curatoris consensu, minoris esse momenti quisque videbit, atque affirmare nemo dubitabit sive antiquum respiciat ius sive recentius. Tum demum non sine momento esset, si cura sexus negotia mulierum omnino non tangeret, quoniam tum negotia quaedam ei essent subiecta, quae iudicialiter agi debent. Antiquissimo quidem tempore, quamvis tantum in statutis hamburgensibus [1]) expressim dictum est, non sine curatore mulieres quidquam posse agere in iudiciis, haec eadem et Lubecae mulierum cura valebat; [2]) idemque sanciunt utriusque civitatis recentiora statuta, [3]) quorum tempore Bremae iam erat sublata illa cura, ita ut feminis, adversario non contradicente, persona standi in iudicio daretur. [4]) Hamburgi autem atque Lubecae hactenus hodie quoque mulierum curam vigere constat.

§. 34.

Magis nostrum est, ut inquiramus,

2. utrum his quoque in civitatibus, in quovis feminarum negotio

[8]) Quibus de verbis *H. Hacke*: Diss. de iure foeminarum bremensium statutario (Groningae 1728) cap. I §. IX. „textum quidem", ait, „expressum non invenimus in statutis, attamen Glossa Krefftingiana — ad tit. 3 de contr. p. 128, — — usu forensi ita servari luculentissime testatur. Videtur quidem tantum de uxoribus Glossatori sermo esse; „*die Frau*", inquit, „*kann ohne ihres Mannes oder Vormundes Wissen und Vollwort*" — — sed videtur tantum. Etenim cum iungatur maritus et curator ab eodem: „*Ihres Mannes oder Vormundes*," uxor autem curatorem non habeat, sed maritus eius locus sit, prona consequentia exinde fluit, utramque speciem feminarum, coniugatarum et non coniugatarum, hic sub vocibus „*die Frau*" comprehendi."

[1]) cf. stat. a. 1270 V, 3; 1292 O, III; 1497 D, III.

[2]) Haud sciam an stat. lub. Cod. Hach II, 203; III, 52, huc non spectet, sed non dubito quin ex statutis a. 1586 (not. 3 cit.) argumentum deduci possit, quoniam certe in hac curae sexus parte paullatim mulierum conditio magis magisque liberior facta est.

[3]) Stat. lub. rev. I, 7, 8; stat. hamb. a. 1605 I, 9, 1; III, 6, 21; (quam legem re vera non obstare sententiae, viduas quoque curae subiectas fuisse, cf. *Cropp* II p. 459; *Gries Comment.* I p. 14); cf. etiam *Ger. Ordn. v.* 1560 tit. 6. (*Baumeister* §. 96 n. 2).

[4]) Qua de re cf. argumenta quae affert Berck p. 204.

curator adhibendus fuerit, quo non adhibito mulieres obligatae non sint? Cuius adhibitionis qualis fuerit natura, quomodoque paullatim severior prioris temporis forma [1]) adeo remissa sit, ut postremo satisfactum legibus esse videretur, si mulier ex arbitrio suo adiutorem sive specialem sive generalem sibi elegerit, [2]) — ad nostrum finem minus spectat. Sufficiat monuisse, curatore non adhibito mulierem obligari non potuisse.

Quod quidem recentiorum statutorum tempore valuisse, aut ex legibus ipsis patet, [3]) aut aliis ex locis [4]) satis colligere possumus. Controversum autem est, an idem fuerit iam secundum statuta vetera.

Nam statutorum lub. locos, [5]) ex quibus omnis pendet decisio, alii ad iudiciales tantum mulierum actus pertinere putant, [6]) alii ad omnia ipsarum negotia referre malunt; [7]) quarum sententiarum haec ex rationibus pro ea allatis magis mihi videtur accipienda.

Idem et ex statutis hamb. veteribus colligi posse existimo, quamvis unum tantummodo specialiter nominatur negotium, in quo curator adhiberi debeat; scil. si quaeratur de assensu aut dissensu in hereditariorum bonorum alienationem. [8]) Quae autem lex praeterea huc pertinet, [9]) certe de solis uxoribus agit, [10]) sed nihilo minus ea ipsa niti possumus, quum quantaecunque sint differentiae per mariti iura inter uxores et viduas adductae, tamen nullae adsint rationes, quominus quoad facultatem obligationes ineundi, ex quibus actio omnino nasci possit, uxores et viduas omnimodo pares ponamus. Itaque quum ex statutis appareat, uxori tantummodo consentiente marito obligationem licu-

[1]) Quamvis non semper curator et bonorum administrationem habuerit, id quod (haud scio an merito) in viduis hamburgensibus *Baumeister* §. 96 n. 10 ex stat. a. 1270 V, 2 colligit.

[2]) cf. *Lüb. Vorm. Ordn. v.* 1820 §. 104 et *Klefecker Sammlung d. hamb. Ges. & Verf. — Hamb.* 1767; tom. IV, §. 151: *„als derentwegen sie zwar zu allen gerichtlichen Handlungen und zu allen Contracten einen Beistand, jedoch nicht weiter gebraucht, als dass er seinen Namen in solcher Eigenschaft und so wie sie es haben will, ohne selbst darüber urtheilen zu dürfen, dem ihrigen mit hinbeifügt. Alles dies ist stadtkundig!“*

[3]) Stat. lub. a. 1586 I, 10, 4; stat. hamb. a. 1605 I, 9. 5.

[4]) Stat. ref. brem. 62, 97, 135, 152; cf. etiam Gloss. Kretft. ad St. a. 1433 p. 128.

[5]) Cod. Hach I, 21; II, 96; III, 134.

[6]) cf. *Pauli* III p. 424.

[7]) cf. *Kraut Vorm.* II p. 284 sqq.

[8]) Stat. a. 1270 I, 12, 1292 C, VIII; 1497 K, XI; *Baumeister* §. 96 n. 19; cf. etiam quod ait *Kraut Vorm.* II p. 279 sqq, qui tamen p. 281 falsum ad finem pervenire videtur, quum certe non sine omni dubio sit, quin stat. a. 1270 V, 3; 1292 O, III; 1497 D, III omnia negotia, in quibus clericos feminasque nec non minores octodecim annis tutorem curatoremve adhibere debuerint, dinumerare velint, quibus ex legibus pro certo id tantum intelligimus, hosce omnes sine tutore vel curatore in iudicio agere non potuisse.

[9]) Stat. a. 1270 IX, 13; 1292 M, X; 1497 L, VI.

[10]) Id quod demonstrant verba: *„ane eren rechten vormund, dat ere man gelden moechte“*; cf. *Kraut Vorm.* II p. 282 sqq.

isse suscipere, quae possit *„stede bliven"*, — atque tum demum, quum, quod sine mariti consensu emerit uxor, eodem modo vendiderit, obligationem sine mariti consensu initam debere *„stede bliven"*: [11]) dicendum certe erit, reliquas quoque mulieres nihilo magis potuisse sine curatore obligari. Aliter fortasse senserim, si deessent illa verba *„stede bliven."* Nam tum putare possemus, legem non de eo agere mariti consensu, quo mulier facultatem nanciscatur sese obligandi, sed de eo quo ipse obligetur ad debitum, quod uxor et sine eius consensu per se potuit inire, creditoribus solvendum. Quare et Hamburgi et Lubecae antiquis quoque temporibus plenam illam fuisse mulierum curam dicendum erit. Nec non Bremae idem valuisse iam ex legibus supra dictis colligi posse videtur. [12])

§. 35.

Reliquum autem est, ut de hodierno iure videamus. Lubecae quidem vel nunc in omnibus mulierum negotiis curatorem adhiberi, quotidianus usus docet, legibusque confirmatur. [1]) Quod idem et de iure hamburgensi dicendum est. [2]) Bremae vero hisce diebus mulieres non amplius curae subiectas esse, negari vix poterit. Obstare quidem videtur, quod hodie quoque ibi mulieres non sine curatore ad hoc ipsum negotium adhibito contrahere solent, neque desunt scriptores, [3]) qui diversam defendant sententiam. Sed iam pridem scriptor quidam hac de quaestione agens [4]) merito „videmus quidem", aiebat, „feminas contractibus, quos celebrant, cum curatore subscribere, ast nullum mihi saltem innotuit exemplum, quod negotium a femina sine curatoris interventu peractum, ideo sit rescissum." [5])

[11]) De qua huius legis parte infra (§. 47 not. 3) agetur.

[12]) Stat. a. 1303 O. 15 & 46; 1428 III, 32 & 35; 1433 O. 38; cf. etiam scripta vetera, quae affert *Gildemeister* prooem. cit. p. 8 sqq.

[1]) *Verordn. v. 4. Mai* 1814 §. 84; (de cura sexus, sublato imperio gallico, restituenda.) *Vorm. Ordn. v.* 1820 §. 104 sqq.

[2]) cf. *Baumeister* §. 97 n. 18, 19, 24, 25, quae etiam agunt de effectu consensus deficientis; cf. etiam *Gries Comment.* I p. 20.

[3]) *Gildemeister* prooem. cit. & *H. Lampe*: de testamenti factione bremensi. (Gotting. 1770) II, 2.

[4]) *Köhnen*: diss. inaug. iur. de maioris aetatis termino secundum ius rom. & stat. brem. (Lugd. Bat. 1745) III, 10.

[5]) cf. *Smidt* l. c. §. 14. Nostram sententiam saltem quoad hosce dies non esse falsam ex rationibus apparet, quibus nititur ea sententia, quam affert *Berck* n. 197 i. f. *(Ober-Ger. Erk. v. 30. Jan. 1826 i. S. L. Hahnenkamp ·/. F. Schütte).* Itemque Senatui bremensi ($^5/_6$ 1818) curae sexus restitutio omnino displicebat (cf. *Berck* p. 207); *Erb. u. Handv. Ordn.* §. 8[c]: *„Witwen und volljährige unverehelichte Frauenzimmer bedürfen —: überall — — eines Beistandes nicht."* Sed et uxorum sine curatore inita negotia valida fuisse eadem lex (§. 8[b]) docet, cuius paragraphi pars prior singularem tantummodo huius praecepti exceptionem continet.

§. 36.

Quae sufficiant de singulis civitatibus. — Nulla igitur mulier (nisi mercatrix) ullo tempore, si solum exceperis ius statutarium bremense recentissimum, nostris in civitatibus sine curatoris consensu de bonis suis aut alienando aut oppignorando aut contrahendo disponere et potuit et potest,[1]) alioquin non obligetur,[2]) ideoque nulla creditoribus competant iura.

Qua ratione autem mentio facienda est exceptionis cuiusdam singularis, quam recentiora exhibent statuta hamburgensia. [3]) Permittunt enim creditoribus, ut in nonnullis debitis a muliere sine curatore contractis, quippe in quibus quamvis locupletior femina facta sit actio de in rem verso amplius non competit, [4]) extimam ei auferant vestem, donec satisfactum sit. Quae exceptio veteri iuri nota non erat, ubi idem ius creditoribus ex omnibus obligationibus, quas valide contractas mulieres solvere non potuerunt, competebat, quoniam et Hamburgi sicuti tot aliis in civitatibus permissum non erat, ut feminae aeque ac masculi qui solvere non potuerunt, creditoribus addicerentur. [5]) Postquam autem sublata addictione *(„Eigengebung zu Hand und Halfter")* debitores custodia publica contineri coeperunt, cui et mulieres bene subiici potuerunt, [6]) remedium illud, quo tunc in validis mulierum obligationibus opus non erat, per exceptionem in invalidas, quas supra diximus, translatum est.

Quae exceptio reliquis civitatibus nota non est. Quamvis enim ius antiquum bremense et hamburgense hac in quaestione omnino

[1]) Tam generalia sunt verba stat. hamb. a. 1605 II, 8, 1; atque Gl. Krefft. ad stat. brem. a. 1433 p. 128. De statutorum lubecensium sensu cf. Mevius Comm. ad St. R. I, 10, 1 Nr. 12 verb: „eamque interpretationem — praxis quotidiana recepit;" et *Gesterding*: analecta iuris lub. IV, E, *Erkenntn. des Hofgerichts zu Greifswalde: — „dass da es überall bekannt, dass eine unter lüb. Recht stehende Frauensperson* absque curatore *ebensowenig* personam standi in iudicio *habe als sonsten eine verbindliche Handlung* absque nullitate *vornehmen könne* — —."

[2]) De exiguis huius regulae exceptionibus infra §. 42 sqq. agetur.

[3]) Stat. a. 1605 II, 8, 1.

[4]) De interpretatione legum huc pertinentium et de ratione, quae sit inter praecepta statutorum veterum et recentiorum cf. *Heise und Cropp* I Nr. 2 §. 2 n. 5; *Gries Comm.* I p. 20 sqq; *Trummer Vortr.* III Nr. 4 §. 47 & 48.

[5]) Stat. a. 1270 IX, 13; 1292 M, X; 1497 L, VI.

[6]) Qua de re cf. *Gries Comm.* I p. 23 n. * et stat. a. 1605 I, 41, 11, ubi in custodia illa publica praecipienda nullo modo inter feminas et masculos distinguitur. Pariter et debitor fugitivus addici non amplius potest, sed ad capiendum eum senatus ipse, ut adiuvet creditores in iudiciis aliarum civitatum, promittit. Stat. a. 1605 I, 43, 13. Id quod idem et in feminis, quatenus obligari possunt, valuisse ex Comm. ad. h. art., quamvis non permagna diligentia conceptus sit, intelligere possumus. Item stat. a. 1605 III, 1, 29 de parentibus agit, qui ob debita in custodia teneantur; cf. etiam *Klefecker Sammlg.* IV §. 161.

congruerent [7]) pariterque paullatim utriusque sexus debitores custodia publica tenerentur, [8]) tamen sine omni sanctione legali singularem illam iuris hamburgensis exceptionem transferre vix possumus. [9])

Quod autem attinet ad ius lubecense vetus, mulieres non minus quam viros, si solvere non potuerunt creditoribus addictas esse, quamvis statuta non distincte id pronuntient, ex argumentis quibusdam colligere possumus. Contrarium enim nulla lege cavetur, quin generaliter dicitur: [10]) „Si quis alicui in proprietatem donabitur," quae verba tam mares quam feminas complecti palam est. Deinde illius regulae invenimus exceptionem, in qua itidem inter masculos et feminas non distinguitur: ut ob debita, quae pretium VIII solidorum non excedant, creditores tantummodo per ius illud vestem auferendi satisfactionem sibi possint parare. [11])

Statuta autem recentiora de feminis praescribunt: [12]) *„Hiemit aber ist es verboten Frauenspersonen den Gläubigern an die Hand zu geben, die nicht bezahlen können, doch mag der Creditor zu allen Zeiten, wann er sie trifft, das oberste Kleid abnehmen, bis so lange sie bezahlt hat."* Sed hoc exiguum ius creditoribus tunc tantum competit, si mulieres non ob propria debita aggrediuntur. Ob propria enim debita, sola addictione excepta, quam nunquam pati debent, feminas masculis pares habendas esse eadem lex docet. Quaerendum autem est, quas in obligtiones prior illa nostrae legis pars referenda sit, qua creditoribus ius extimam vestem auferendi conceditur? Num forte ad eas, quas mulier intercedendo susceperit? Quod qui faceret merito inter „absurdastros" ponendus esset! [13]) Nam hae obligationes, quamvis principaliter fuerint alienae, per intercessionem propriae factae sunt. Sed tunc praeceptum illud habet locum, quum revera nulla exsistat mulieris obligatio, ex qua in personam eius possit animadverti, quamvis bona eius alia ex causa sint obligata; id quod, si liberi exsistant, in uxore accipiendum esse pro debitis mariti infra (§. 60 sqq.) videbimus. Itaque contra strictum ius

[7]) Stat. a. 1303 O. 92; 1428 III, 8 & 9; 1433 O. 73. De veste mulierum bremensium quam vocant „*Hoyken*" cf. *Berck* n. 258 & *Oelrichs* Glossar. p. 66. Immerito saepe (cf. e. g. *Berck* p. 253) has leges de obligationibus mulierum invalidis agere contenditur. Cui sententiae obstant verba ipsa: — „*vrowe dhe nicht ghelden mach*," quibus eaedem utuntur leges in masculis, quamvis quin loquantur de viris, qui solvere debent nec possunt, nemo dubitare possit.

[8]) Id quod non sine dubio constare videtur cf. *Berck* n. 631; cf. etiam *H. Hacke* l. c. cap. IV §. VIII pr.

[9]) Diversam sententiam sequitur *Berck* p. 253.

[10]) Cod. Hach I, 69; II, 200; III, 12.

[11]) Cod. Hach II, 209; III, 191; quae exceptio et in statuta recentioria licet paullo immutata transiit; cf. R. St. III, 1, 5.

[12]) R. St. I, 3, 1; qua de lege cf. *Stein Abh.* I §. 69 sqq; §. 77.

[13]) Mevius Comm. ad R. St. I, 3, 1 Nr. 136 & 137; cf. *Stein Abh. (Zusaetze zu den 2 ersten Th. etc.)* §. 44 ad tom. I §. 77 i. f.), qui ob falsam suam de mulierum intercessionibus sententiam indistincte ea de re agit.

creditoribus, qui ex bonis uxoris solutionem impetrare possunt, eiusmodi personam ipsam eius aggredi licet. [14])

§. 37.

Quae omnis de cura sexus inquisitio quid proficiat nobis de uxoris debitis diiudicaturis, facile intelligendum est. Quum enim haec mulierum cura omnes complectatur feminas, (pendet enim ex ipso genere feminino), nec uxores ab ea sunt liberatae. Quare sine mariti, curatoris legitimi [1]) consensu nec uxori aes alienum contrahere licet. Alioquin neque a marito ipso ex bonis ab uxore in matrimonium illatis creditoribus satisfaciendum est, nec bona ab uxore reservata, nec uxoris ipsius persona creditoribus tenentur. [2]) Quatenus autem ex obligationibus, quas marito consentiente susceperit uxor, creditores aut in uxorem ipsam aut in maritum (sive tamquam bonorum uxoriorum administratorem sive tamquam coniugem consentientem) habeant actionem, ex momento pendet atque auctoritate ipsi matrimonio concedendis. Licet enim generaliter dicendum sit, curatorem ex consensu aut debitorem aut creditorem non fieri, tamen id ipsum quaeritur, num haec regula immutetur, ubi curator simul est maritus.

At vero antequam ad hanc, quae propius ad nostrum finem spectat, accedo quaestionem, superest, quam supra (§. 17 n. 6) reposuimus, [3]) utrum maritus ipse vel tunc uxoris curator esse possit, si agatur de consensu ab uxore tamquam proxima mariti herede dando in ipsius bonis immobilibus hereditariis alienandis; non enim sine curatoris consensu uxorem hunc dare posse consensum, pro certo habendum est. [4]) Statutis autem ipsis hanc quaestionem non decidentibus, aliunde eam respondeamus oportet. Et quoniam, ubi „causa simul maritum ipsum concernat," specialis ad hoc uxori curator dandus est, [5]) hac quoque in re ma-

[14]) *Stein Abh.* l. c; Mevius l. c. Nr. 135; cf. etiam Cod. Hach IV, 88. Aliter hoc praeceptum interpretantur *Heise & Cropp Abh.* I Nr. II §. 2 n. 5; neque vero quomodo fieri possit intelligo.

[1]) Lub: cf. Mevius Comm. ad R. St. I, 10, 1. Nr. 17. Hamb: stat. a. 1270 IX, 13; 1292 M, X; 1497 L, VI; 1605 III, 6, 9 & I, 9, 5. Brem: cf. *Berck* not. 199.

[2]) Quare nec probari potest (cf. §. 39), neque sufficit, quod ait *Zerran* Diss. de comm. bon. coni. (Giess. 1731) §. XXXVI: „Distinguendum erit an uxor contraxerit cum consensu mariti an sine eo. Priori enim casu — — sine ullo dubio maritus aeque obligatur ac uxor, quod si autem sine consensu mariti aes alienum conflaverit, hic non obligatur."

[3]) Qua de quaestione cf. *Stein Abh.* II §. 33. *

[4]) Lub: R. St. I, 9, 5 (verbum: „*mögen = sollen*"); cf. etiam Mevius Comm. ad R. St. I, 10, 1. Nr. 14. Hamb: Stat. a. 1270 I, 12; 1292 C, VIII; 1497 K, XI; 1605 III, 1, 11.

[5]) Lub: cf. Mevius Comm. ad R. St. I, 10, 1 Nr. 19. Hamb: cf. *Comm. Wörd.* ad stat. a. 1605 I, 9, 5. cf. etiam *Hartung* dissertatio de cura sexus etc. hamb. (Gott. 1791) §. 30 p. 76 & *Reimbold* (pr. *Quistorp*) diss. de fem. merc. ad tit. VIII p. II art. I iur. hamb. (Buetzovii 1779) §. V.

riti consensu non sufficiente extraneum adiungendum fuisse curatorem accipiemus. [6]) Qua ratione non negligenda erit lex quaedam statutorum hamb. a. 1605, [7]) qua praecipitur: „— — *Wollte aber die Frau — — — einige Auflassung oder Gab zu seinem*“ (i. e. mariti) „*Behuf vollbordten oder bestätigen, darzu mag der Mann ihr Vormund nicht sein, sondern muss die Frau einen andern Vormund — erbitten.*“ Quamvis enim haec verba commentatores praeprimis ad uxorem referant, quae in alienationibus in ipsius mariti favorem faciendis renuntiare debeat iis iuribus, quae ipsi tamquam alienantis heredi proximae competant, tamen huius legis ratio ea mihi videtur, quae et in alienationibus a marito faciendis possit obtinere.

B.

De variis uxorum debitis valide aut invalide contractis.

§. 38.

Uxores, etsi sub mariti potestate et cura, an et quatenus ita cum semet ipsas tum maritos possint contrahendo obligare, ut creditoribus actio competat, nunc videamus, sed etiam quomodo et quando hoc iure agendi creditores uti possint. Qua de quaestione statuta ipsa non multum praecipiunt. Leges enim directis verbis imprimis huc pertinent hae:

Stat. lub: „Nulla mulier potest bona sua impignorare, vendere vel dare sine procuratore, nec aliqua mulier potest carius fideiubere quam pro duobus nummis et dimidio sine mundibordio suo, i. e. *vormunde*, exceptis illis quae habent *kopschat*, et solent emere et vendere etc.“ [1]) Quod praeceptum verbotenus fere in patriam linguam conversum omnia exhibent statuta, [2]) quorum recentiora praeterea constituunt: „*Es kann keine Frau, es sei denn eine Kauffrau mehr kaufen ohne ihres Mannes oder ihrer Vormünder Wissen, denn Leinwand und Flachs zu ihres Hauses Nothdurft.*“ [3])

Stat. Hamb: „*It ne mach nen vrouwe kopen gud ane ere rechten vormunt, dat ere man gelden dorve, sunder wumpele unde doke unde vlas, ere vormunt bescheide it. Unde willekoret he, so wat se koft dat he it gelden wille, so blift it stede etc.*“ [4]) Idemque paucis tantummodo verbis immutatis posteriora praescribunt statuta, [5]) recentissima autem ita hoc praeceptum receperunt. [6]) „*Die aber*“ (scil. *Frau*) „*so der Kauf-*

[6]) Idem etiam iure vetere bremensi valuisse cf. *H. Hacke* l. c. cap. II §. XI i. f.

[7]) Stat. a. 1605 III, 6, 9.

[1]) Cod. Hach I, 21.

[2]) Cod. Hach II, 96; III, 134, (quae lex parum diligenter est concepta); R. St. I, 10, 1.

[3]) R. St. III, 6, 13. Minus huc pertinet R. St. I, 7, 8, quae lex tantummodo de persona standi in iudicio agit uxori deficiente.

[4]) Stat. a. 1270 IX, 13.

[5]) Stat. a. 1292 M, X; 1497 L, VI (desunt enim verba: „*so blift it stede.*“)

[6]) Stat. a. 1605 II, 8, 1.

mannschaft nicht zugethan ist, kann ohne ihres Mannes oder ihrer Vormünder Wissen und Vollbort, ausserhalb Leinwand und Flachs zu des Hauses Nothdurft gehörig, nichts bestendiglich contrahiren etc." [7])

Statuta vero bremensia plane nil ea de quaestione cavent, [8]) ita ut ex verbis glossae Krefft. [9]) ius quod tunc consuetudine valuerit colligere debeamus.

§. 39.

Consideremus igitur

I. debita, quae uxor consentiente marito contraxerit. Ex quibus iure lubecensi semper creditoribus actionem datam esse, palam est argumentumque docet ex contrario legum modo commemoratarum. [1]) Quaerendum autem est, quatenus creditores hac actione solutionem impetrare possint. Reservata uxoris bona, si quae fuerint, quin creditores aggredi possint, quis est qui dubitet; neque interest, an maritus an uxor ipsa vel alius ea administret. Dubium igitur id solum esse videtur, utrum maritus bona ab uxore illata ad eiusmodi debita solvenda edere debeat. Id quod negaverim. Fieri enim potest, ut maritus per consensum id tantummodo efficere velit, ne invalida sit uxoris obligatio, neque tamen a se ipso creditorem solutionem petere posse, quae iura in uxoris bonis sibi concessa laederet. In dubio enim putandum est, quam minimum quisque sibi parare voluisse incommodum. Sed fortasse quis dixerit, ubi custodia atque carceres immineant mulieribus, iniquitatem esse nullo modo iustificabilem, si maritus illata uxoris retinere et velit et possit, praesertim quum ipsa uxor, ut maritum custodia liberet, omnia quae intulerit dare debeat, quamvis non consenserit debito. Immo ne id quidem sufficere putaveris; sed potius maritum vel suis bonis solvere debere uxoris debita cum ipsius consensu contracta, atque ex persona ipsa tantummodo maritum nullo quidem modo obligari, nisi aliud ei in dando consensu placuerit.

Quam tamen sententiam comprobandam esse equidem non putem: creditor enim, qui per mariti consensum actionem nactus est adversus uxorem, per iura mariti impeditus est, quominus solutionem ex bonis ab uxore illatis petat, quum aut sciat, aut ex errore iuris non probabili (inquirendum enim ei fuisset) nesciat, uxoribus non liberam esse de bonis suis illatis disponendi facultatem. Itaque quamdiu haec ei obstent iura, nec iure suo personam uxoris aggrediendi uti potest; quod tunc demum ei competit, quum uxor solvere aut nolit aut non possit, quod

[7]) Quibus de legibus maxime controversis cf. *Gries Comm.* I p. 18 sqq; *Klefecker Samml.* IV p. 177 sqq; *Cropp* II p. 470 sqq; imprimis autem diligentissimas explicationes, quas exhibet *Trummer Vortr. Altgerm. Pers. R.* §. 47, 48, 55, 66.

[8]) Nam stat. a. 1303 St. B. VII; 1428 II, 19; 1433 St. 13 de iis tantum dispositionibus agunt, quas maiores nostri *„Gaben"* appellabant.

[9]) cf. *Berck* not. 250 & 197.

[1]) Quod quidem inter omnes constat.

utrumque accipiendum non est, quamdiu bona eius in mariti potestate supersint. [2]) Aliter quidem dicendum est, si maritus ei uxoris contractui consenserit, cui dies solutionis certus aut nominatim aut tacite adiectus est. Die enim solutionis veniente, omnia uxoris bona creditori relinquenda sunt, iisque non sufficientibus creditor vel personam uxoris aggredi poterit. Aliud est, si maritus obligationi purae consentiens ultro promiserit, ut si durante matrimonio creditor agere velit, ei reddantur bona ab uxore illata. Quamvis enim fortasse non sufficiant, personam tamen uxoris aggredi non poterit, quoniam, cui benigne maius quam postulare potuit ius concessum est, non omnia ideo sibi vindicare potest, quae si per se hoc iure uti potuisset, ex eo consequerentur. Quare in obligationibus, quibus dies adiectus non est, per pactum creditori ius personam uxoris aggrediendi dari, in obligationibus cum solutionis die initis per pactum adimi potest. Stricto igitur iure, legibusque ipsis maritus, nisi aut promiserit, aut alia quaedam accesserit causa, nullo modo cogendus erit, ut aut ex bonis suis aut propria persona creditoribus uxoris satisfaciat, licet uxori contrahenti consenserit. [3]) Idemque valet si maritus obligationis ab uxore contrahendae haud ignarus, non dissenserit, dummodo uxor quoque hanc mariti scientiam non ignoràverit; neque minus, si mariti consentire aut dolose recusantis aut ex iusta causa (absentiae puta, furoris etc.) impediti a magistratibus ipsis consensus causa cognita fuerit suppletus; sive magistratus ipsi consenserint, sive alium uxori dederint curatorem. [4]) Quoniam autem hic fingatur mariti consensus, nec re vera ipsius in voluntate positus sit, minimum eiusmodi decreto dederim effectum, quem verus mariti consensus habere possit, neque ullo modo iura mariti in bonis uxoris laedi posse putaverim per creditorem.

§. 40.

Quod autem attinet ad ius hamburgense verba quidem ipsa statutorum veterum [1]) non de ea agere videntur quaestione, utrum ex obligatione uxoris creditori omnino actio nascatur, sed tantummodo utrum adversus maritum? Quod si ita esset, neque de negotiis per curatoris consensum validis faciendis hoc loco ageretur, equidem certe mirarer, cur mariti tamquam legitimi uxoris curatoris consensus mentio facta sit. Neque necesse est ut verba: „*dat ere man gelden dorve*“ interpretemur, ex suis bonis marito debita illa uxoris esse solvenda. Nam vel si uxoris tantummodo bona creditoribus sunt cedenda,

[2]) Uxoris personam non teneri, quamdiu bona licet in mariti manibus supersint, iam colligi potest ex verbis ipsis stat. a. 1586 I, 3, 1: „— — *Frauenspersonen, die um ihrer eignen Schuld willen vertieft sind.*“

[3]) Aliter iudicat *Pauli* II p. 110.

[4]) Quo referenda sunt, quae affert *Pauli* II p. 43 sqq.

[1]) Stat. a. 1270 IX, 13.

cum eorum cessione maritus perdit quidquid iuris in illis bonis competit, ita ut ipse quoque obligationibus illis teneri dici poterit. Denique non sine momento est lectio codicis Reinstorpiani, quam *Lappenberg* nostra in lege reliquis praefert: *„unde willekoret he so wat se koft dat he it gelden wille, so blift it stede."* [2]) Sed utut sit, ex statutis certe recentioribus nulla ea de re superest dubitatio, quibus speciatim constituitur, [3]) non sine consensu mariti uxores obligationem posse inire.

Idem de debitis ab uxore consensu mariti initis etiam secundum ius bremense accipiendum est. [4])

§. 41.

2. Sed etiam ex nonnullis obligationibus sine consensu mariti contractis ius agendi creditoribus nascitur. Quarum in numero imprimis ponendae sunt obligationes, ex quibus creditores agunt ob in rem versionem. Quae quatenus locum habet, quamquam [1]) statuta nostra nihil de hac re constituant, non solum ipsius uxoris, sed etiam, dummodo in rem mariti versum est, huius bona creditoribus cedere dixerim; quominus autem creditores ipsam uxoris aut mariti personam aggrediantur, ea ipsa causa, ex qua oritur actio, mihi impedire videtur. Neque vero hoc creditorum ius pro exceptione habendum est regulae, ex obligationibus sine mariti consensu contractis actionem non dari, quia hic non ex ipso uxoris negotio actio nata est, sed ex causa quadam superveniente.

§. 42.

3. Veram prorsus huius regulae exceptionem constituunt debita, quae mulier intra fines rerum domesticarum contraxerit. Nam secundum mores maiorum his quoque in civitatibus res domesticae uxoris curae et administrationi ita erant commissae, ut quidquid intra earum fines egerit, etiam sine mariti consensu staret. [1]) Neque vero negotia

[2]) Quamvis enim, quae *Trummer Vortr.* l. c. §. 48 n. 1 ea de lectione ait, reprobanda non sunt, tamen quominus argumentum inde deducamus non obstant.

[3]) Stat. a. 1605 II, 8, 1.

[4]) cf. Gloss. Krefft. supra §. 38 allatam. Marito per longum tempus absente, uxor a magistratibus, quibus haec res commissa erat, liberam potestatem impetrare potest „de bonis suis a communione non reservatis" disponendi; cf. *Erb. und Handv. Ordn.* §. 8 [a].

[1]) Refert huc *Kraut Vorm.* II p. 417 sqq. praeceptum quoddam iuris lub. Cod. Hach II, 96 n. 11: *„Item wat ein wiff lavet ahne fulbordt ehres munnes dat is krafftloes. Koeft averst en wiff wat, dadt modt se betalen."* Quae quidem ultima verba recepta certe in statuta recentiora, sed ad mulieres tantummodo mercatrices relata videmus ex R. St. III, 6, 21, quamvis eadem fere eius sint verba: *„Eine Kauffrau was sie kauft muss sie zahlen."* De iure bamb. cf. Comm. ad stat. a. 1605 II, 8, 1. verb: *„verstattet werden."*

[1]) Luh: In veteribus statutis nulla huius rei mentio fit; sed nec dubitare possumus, quin hoc ius in omni Germania tam inveteratum Lubecae quoque vi-

expressim in legibus dinumerata [2]) omne illud explere mulierum ius, magisque per has leges fines, quas uxor non excederet, — erant enim per se dubii atque incerti — circumscriptos esse putandum est. Quaestio autem est et communi iure controversa [3]) neque ex legibus nostris indubia, [4]) quomodo per eiusmodi debita aut uxor ipsa aut maritus obligetur? Rectissime vero mihi ipsius mariti debitis aequiparanda videntur, [5]) ex quibus adversus ipsum principalis oriatur actio. Quamvis enim facultas ista mulierum intra fines rerum domesticarum de omnibus coniugum bonis libere disponendi, non pendeat ex mariti iussu aut permissione, sed qua proprium ius ei competat, tamen nihilo minus pars est iuris marito tamquam familiae capiti in omnibus coniugum bonis concessi. (Quid enim obstat ut quis proprio iure alterius ius tamquam suum intra certos fines exerceat?) [6]) Quod autem maritus, dummodo uxor intra domesticas res constiterit, debita illa quasi sua agnoscere debet, unicum affert creditoribus praesidium; quippe quibus, si, obligatione non intra eos fines inita, communia coniugum bona non tenentur, non solum adversus maritum, sed etiam adversus uxorem, sive reservata habeat bona sive non, actio nullo modo competeret. Nam haec debita si pro domesticis habenda non sunt, ob deficientem mariti consensum omnino valide contracta esse non videntur. An quis dicat iniquissimum fore, si uxores his debitis omnino non magis tenerentur, quam ceteris mariti debitis, quum creditores saepe nesciant, utrum intra fines rerum domesticarum mulier cum iis contraxerit? Sed plerumque ex ipsa negotii natura id satis apparebit, sin minus, mulier quo facilius ei credatur ostendet, fines istos non excedi, atque certe creditorum est, ut de ea re inquirant. [7])

§. 43.

4. Transeo ad mulieris debita, quae ex ipsius intercessione origi-

guerit, nec non argumentum etiam de prioribus temporibus ex R. St. III, 6, 13 duci posse intelligemus. Hamb: cf. leges princ. huius §. citt. Brem: Donandt II p. 126; *Berck* p. 250 & n. 248 scriptoresque ibi citt.

[2]) Stat. lub. a. 1586 III, 6, 13. „*Es kann keine Frau — — mehr kaufen — — ohne ihres Mannes — — Wissen, denn Leinen und Flachs zu ihres Hauses Nothdurft.*" Stat. hamb. a. 1270 IX, 13. „*It ne mach nen vrouwe kopen gud ane eren rechten vormunt — — sunder wumpele unde doke unde vlas* — — 1292 M, X; 1497 L, VI; 1605 II, 8, 1. (cf. *Hartung* l. c. p. 70).

[3]) cf. *Kraut Vorm.* II §. 99 i. f.

[4]) Neque enim vel ex statutis hamb. aliud colligi potest, quam ut maritus ea solvere debeat; — utrum autem tantum insufficientibus bonis ab uxore reservatis, an vel ex suis bonis, non patet.

[5]) Iure brem. haec sententia comprobatur per *Verordn. für Debit- und Nachl. Sachen* a. 1843 §. 317.

[6]) Contra cf. *Kraut* l. c. not. 14.

[7]) Ad eundem finem perveniunt: *Langenau & Kori: practische Erörterungen etc.* tom. II Nr. 11; *Ch. L. Runde eheliches Güterrecht* 1841 p. 101, quorum sententiam ex praeceptis, quae de institoris obligationibus iure communi tradantur, male translatis ortam esse, minus recte putat *Kraut Vorm.* l. c. n. 11.

nem ceperunt. Qua ratione imprimis quaerendum est, utrum, sicut iure romano, itidem ex harum civitatum statutis aliter diiudicentur intercessiones ac reliquae mulierum obligationes: quod negandum esse videtur. Statuta enim lubecensia [1]) permittunt, ut „mulier possit — fideiubere — pro duobus nummis et dimidio [2]) sine mundibordio suo, i. e. *Vormunde.*" Ultro vero hanc summam fideiussiones mulierum curatoris consensum requirunt, quo superveniente, quum nihil ea de re statuta caveant, omnino reliquis obligationibus pares habendae sunt. Neque vero sciam, an in omnia mulierum negotia haec exceptio, quamvis legis obstent verba, extendenda sit, quoniam inter omnia negotia fideiusiones minime hanc liberationem postulasse videntur, eademque, quam isti exceptioni ansam dedisse putaverim, et alibi locum habet ratio, scil. ut incommoda tollantur, quae si in tam exiguis rebus eadem negotii torma quae in gravissimis posceretur, evitari non possent. [3])

Hamburgensibus statutis exceptio illa est ignota; generaliter enim recentiora [4]) contituunt, mulieres sine curatoris consensu intercedere non posse; idemque veterum iam tempore valuisse puto. De eo vero dissentiunt scriptores, utrum tunc temporis omnino nullae fuerint mulierum intercessiones, [5]) an nulla inter eas reliquasque obligationes fuerit differentia, [6]) quod magis mihi probandum videtur, quum ratio ex qua ius romanum intercessiones feminarum vetuerit, in statutis germanicis nullius momenti esse possit, ideoque ex silentio eorum nequaquam colligendum sit, mulierem pro alio intercedendi interdictam esse facultate, sed potius inter has aliasque obligationes nullam fuisse, quae commemoretur, differentiam.

Ius quoque bremense quamvis postea nec in hac re a iure romano intactum evasit, tamen statutorum tempore in hac quoque urbe nulla fuisse videtur differentia in diiudicandis intercessionibus ceterisque mulierum obligationibus; [7]) quin ea ipsa quae Lubecae hic statuitur exceptio in minutiis et exiguis rebus, quamvis certae summae ipsi dati non sint fines. [8])

Nihilo magis etiam uxores impeditae sunt, quominus pro maritis intercedant („*medeloven.*") [9]) Quae intercessiones maximi sunt momenti,

[1]) cf. statuta §. 38 citt.

[2]) cf. *Stein Abh.* II §. 53.

[3]) cf. *Stein Abh.* III §. 136; Mevius Comm. ad R. St. III, 6, 13 Nr. 5.

[4]) Stat. a. 1605 II, 6, 2.

[5]) *Trummer Vortr: Altgerm. Pers. R.* §. 6 n. 10.

[6]) *Heise & Cropp Abh.* I p. 144.

[7]) cf. *Berck* not. 511.

[8]) Gloss. Krefft. ad stat. a. 1433 p. 128: „*nichts anschnliches, daran viel gelegen*"; cf. etiam stat. ref. 62; cuius exceptionis miram interpretationem profert *H. Hacke* l. c. cap. III §. 7. i. f.: „imo feminae" (nisi in minutiis libera iis concederetur potestas) „tamquam personae plane ad classsem infantum relegatae sibi ac aliis inutiles usui nulli sed oneri essent."!!!

[9]) Qua de quaestione cf. *Heise & Cropp Abh.* I Nr. 10; — argumenta quae saepe (cf. e. g. *Gildemeister* spec. leg. §. 26 not. m. & *H. Hacke* l. c. cap. III §. 10) ex communione bonorum deducuntur

si uxores aut habent bona reservata aut nulla interveniente intercessione creditoribus mariti non tenentur. [10])

§. 44.

5. Adhuc de obligationibus locuti sumus, quas sponte uxor contraxerit. Neque vero, quamvis statuta de iis nil praecipiant, omittendae sunt obligationes ex delictis mulierum provenientes, [11]) in quibus, quum ut actio nascatur nihil intersit, an curatoris consensus vel scientia accesserit nec ne, [12]) id solum quaeratur, quomodo et quando creditores iure illi uti possint. Qua ratione longe aliter iudicandum est de obligationibus, quae ex contractu uxoris nascantur atque de iis, quae ex ipsius delicto. Nam in illis, licet consensu mariti sint initae, creditor si durante matrimonio solutionem ex bonis ab uxore illatis petat, a marito plerumque repellitur, — ut differat actionem in tempus soluti matrimonii. Non enim potest uxor pro arbitrio suo obligationes contrahendo mariti iura laedere; neque ulla fit iniuria creditori, quippe qui, quamvis eam uxoris conditionem aut sciverit aut scire debuerit, sponte tamen cum ipsa pactus fuerit. Aliud dicendum est de eo, cui ex uxoris delicto actio nata est, quum neque ex uxoris voluntate mariti iura laedantur, neque in eius, qui per uxoris delictum damnum accepit, positum sit arbitrio, utrum inire velit obligationem necne, [13]) quare delicto uxoris non solum bona reservata sed etiam illata statim adire potest. Mariti autem bona, nisi ipse aliquo modo delicti fuerit socius, [14]) de iure nequaquam tenentur; [15]) ne vero creditores, bonis uxoris ad satisfaciendum non sufficientibus, ipsius personam aggrediantur, facile aequitas maritum adducet, ut ad uxorem ab impeditione liberandam ex propriis bonis debitum illud persolvat.

§. 45.

6. Reliquum est, ut de debitis paucis agamus ab uxore iam ante matrimonium initis, de quibus statuta nostra nihil omnino praecipere videntur. [1]) De his equidem sic senserim:

contra intercessiones uxorum pro maritis, una cum communione bonorum cadunt cf. *Berck* n. 625.

[10]) Quo proficiscentes recte interpretabimur stat. lub. Cod. Hach II, 11; III, 153 (n. 10); R. St. I, 5, 7. Iuris romani auctoritati tribuendum est huius legis praeceptum. *Puchta Pand.* §. 408 n. 7 & 8; *Heise & Cropp Abh.* I Nr. 10 §. 5. sqq; de variis huius articuli interpretationibus cf. ibid. not. 10 & 11.

[11]) cf. *Stein Abh.* I §. 138.

[12]) *Kraut Form.* I p. 339 sqq; cf. etiam *Puchta* §. 50.

[13]) cf. *Gerber Priv. R.* §. 231 n. 12.

[14]) Qua ratione consensus eius, alias in his obligationibus non respiciendus, non sine momento esse potest.

[15]) Sed tum quoque non tam uxoris debitum ex bonis suis solvit, quam proprium, i. e. ex delicto, cuius socius fuerat, ortum.

[1]) De praecepto stat. hamb. a. 1292 F, X; 1497 J, XV; 1605 II, 11, 16 cf. infra not. 7.

Maritus, quae ipsi matrimonium ineunti ab uxore inferuntur, non alia accipere potest, quam qualia tunc sunt; indeque sequitur, ut debita, pro quibus iam ante matrimonium mulieris bona re vera fuerint obligata, uxoris patrimonio deducenda sint, maritusque sive de iis iam tunc certior factus fuerit sive non, [2]) vel constante matrimonio ea solvere debeat ex bonis ab uxore illatis; nullo enim modo creditoribus iura in bonis mulieris iamiam quaesita eo possunt subduci aut imminui, quod viro bona illa tradantur, qualiacunque iura, dummodo dominium apud uxorem remanserit, marito in iis concedantur. Quatenus autem ex uxoris bonis debita ista antematrimonialia exsolvere teneatur maritus videamus. Et bona quidem ab uxore statim illata quin maritus creditoribus relinquere debeat, dubitandum non est. Neque tamen hic substiterim, sed potius, quaecunque bona uxor constante matrimonio in illatorum quasi augmentum marito attulerit, itidem creditoribus antematrimonialibus esse tradenda putaverim. Quum enim creditori, nisi specialis obstet causa, ex omnibus debitoris bonis satisfaciendum sit, sive hypothecae ipsi fuerint datae sive non, omniumque bonorum appellatione etiam futura contineantur, [3]) quae reliquis bonis ita accedunt, ut totius patrimonii statim atque tacite fiant pars, et quum obligationes illae eo iam ortae sint tempore, quo ius mariti in rebus uxoriis adhuc esset nullum, creditores antematrimoniales marito praeferendi sunt in omnibus mulieris bonis, sive ante nuptias sive durante matrimonio fuerint acquisita. [4])

Neque vero inter omnes constat haec sententia, quum multi sint, qui bona ab uxore durante matrimonio acquisita creditoribus antematrimonialibus teneri non putent. [5]) Rationibus autem omnibus, quibus nituntur, [6]) pariter obstare videntur, quae modo diximus. Neque parvi mihi pendendum videtur, quod unius tantum civitatis statutis [7]) ea sententia possit confirmari, ex quibus sententiam reprobandam aliquo tempore vel a legislatoribus comprobatam esse colligamus.

Ceterum quod ad statutarii iuris scriptores attinet, mirari non possumus, si, qui hanc quaestionem tetigerunt, cum fere omnes veram bonorum communionem esse hisce in civitatibus contendant, longe aliter de his uxoris obligationibus iudicantes, maritum vel suis ex bonis debita ista solvere debere putant. [8])

[2]) Aliter iudicat *Harder* l. c. p. 56 sq.

[3]) cf. e. g. l. 9 Cod. VII, 17 (quae res pignori.)

[4]) cf. e. g. *Gerber Priv. R.* §. 231 n. 10; *Berck* p. 106.

[5]) cf. e. g. *Kraut Vorm.* II p. 412 sq; *Finsler:* de obligatione uxoris circa solvenda mariti debita secundum ius medii aevi. (Gotting. 1822) p. 32.

[6]) *Kraut* l. c.

[7]) Statuta viennensia cf. *Kraut* l. c. n. 17.

[8]) cf. *Berck* n. 237[a] (qui quidem ipse (p. 246) veram sequitur sententiam); *Engelbrecht & Mayer:* diss. de mutuo coni.

Denique vix commemoretur oportet, creditores uxoris, quae etsi non expressim, certe procul dubio in sola bona postea reservata ante matrimonium susceperit debitum, reliqua ipsius bona nullo modo aggredi posse. [9])

Tit. II.

De uxoribus mercatricibus.

§. 46.

Triplicem uxoris conditionem ratione mercaturae distinguamus oportet. Aut enim ministra est mariti mercatoris, et tunc nullo modo, nisi in contrahendo fines praepositos excesserit, obligatur. Aut institoris loco negotiis mariti praeposita est; quod si ita est, obligari potest secundum praecepta de institore tradita, quibuscum etiam quae de cura sexus omnes feminas complectente diximus coniungenda sunt.[1]) Utrumque autem hoc loco omittamus et ad eam transeamus uxorem, quae in sui ipsius commodum negotiatur, i. e. ad uxorem mercatricem „*Kauffrau*" [2]) (alia enim est uxor mercatoria i. e. mercatoris). [3]) Utrum socia vel mariti vel alius cuiusdam sit in negotiis gerendis, an separatim ipsa gerat negotia, nullius est momenti, cum in diiudicanda ea quaestione, quatenus validae sint obligationes ab uxore contractae, tum in ea, quatenus maritus inde obligetur, nisi, quae de societate praecepta sunt, aut minuant aut augeant eam mariti conditionem; id quod nos non tangit. [4])

concursu etc. (Gryphisw. 1741) (cf. *Gesterding* thesaurus I Nr. X) §. 16, qui quoad ius lub. huius sententiae veritatem probant eo, quod nulla in statutis facta sit distinctio inter debita matrimonialia et antematrimonialia! (§. 19 ibid.) cf. *Stein Abh.* I §. 132. * Quoad ius hamburgense rectiorem defendit sententiam *Cropp* II p. 488; *Krohn:* diss. de bonorum coniuges inter hamburgenses communione. (Jenae 1747) §. 35 & 36. Aliter sentiunt *Klefecker Sammlg.* IV §. 85; *Gries Comm.* II p. 35; *Baumeister* §. 81 Nr. III, — qui mariti officium etiam suis ex bonis uxoris illa debita solvendi colligi posse dicunt ex stat. a. 1605 II, 11, 16; (cf. etiam 1292 F, X; 1497 J, XV;) sed minus recte, quum immixtio mariti uxorem solam obligare possit, quoniam uxorio tantum nomine fieri debuit.

[9]) De magna exceptionum caterva, quas interdum in debitis uxoris diiudicandis statuendas putaverunt JCti cf. e. g. *Mevius* Comm. ad R. St. I, 10, 1 Nr. 49—57.

[1]) *Thöl Handels-Recht* tom. I §. 49; *Heise & Cropp Abh.* I Nr. 2 p. 10 sq.

[2]) In statutis tantummodo iuris lub. a. 1586 vocem: „*Kauffrau*" invenimus, statuta vetera pluribus hoc verbum circumscribunt. Stat. hamb. et brem. verbis utuntur: „*Kaufmannschaft brauchen — treiben.*"

[3]) Qua de differentia cf. *Stein Abh.* I §. 144 i. f.; *Reimbold* l. c. §. IX; nec non quasdam decisiones iudiciorum bremensium, quas affert *Berck* n. 623.

[4]) cf. e. g. St. R. lub. II, 9, 5; cf. etiam *Mantzel* et *Tonnagel* in Gesterdingii thesauro iur. lub. II Nr. XXIV thes. VI & XXIII; St. R. hamb. II, 10, 8.

§. 47.

1. In lubecensibus statutis omnibus mulierum mercatricium specialis fit mentio. [1])

2. Quod attinet ad ius hamburgense, quamvis statuta recentiora [2]) sola de iis agaut, tamen quin et antea hac in civitate nequaquam ignotae fuerint, dubitare non possumus, immo vestigium aliquod fortasse lex quaedam veterum statutorum [3]) praebet, qua constituitur: *„Mer so wat en vrouwe koft ane eren vormunt, dat mach se wol verkopen ane ene, und it schal stede wesen.“* [4])

3. Statuta antiqua bremensia de mulieribus mercatricibus omnino non agunt, sed in reformata ex statutis hamb. (not. 2. citt.) locum invenimus fere verbotenus translatum, [5]) certe non tam, ut institutio nova introducatur, quam ne inveteratae omnibusque notissimae consuetudini legalis desit sanctio.

Quaerendum autem est, quomodo ex harum civitatum iure statutario mulieri suo periculo suoque commodo negotianti [6]) liberior sit conditio quam reliquis.

Supra (§. 33) iam vidimus, mulieres non sine curatore in iudicio agere potuisse. An hoc aliter se habeat, si sint mercatrices? Concedemus non ideo affirmandam esse hanc quaestionem, quia praecipiatur, ut libere mulieres mercatrices de bonis suis disponant; praesertim cum statuta lubecensia recentiora [7]) generaliter caveant: *„Es soll keine Manns-*

[1]) Cod. Hach I, 21; II, 96; III, 134; R. St. I, 10, 1 etc.

[2]) Stat. a. 1605 II, 8, 1. Haud scio, an consentiamus Griesio, qui l. c. I p. 18 n. † per verba statutorum: *„die Kaufmannschaft gebrauchet“* et *„die offene Laden hält,“* non idem genus designari putat, sed ad stat. a. 1605 I, 30, 6 respiciens verba illa ad mercaturam magnam et copiosam, haec autem ad tenuem refert. Magis probabilis esse videtur sententia Klefeckerii IV §. 154, de tenui tantum mercatura statuta speciatim agere, quamvis tacite idem dicendum sit de mercatura magna. Nam in maiori inest minus. Cf. etiam *Reimbold* l. c. §. X.

[3]) Stat. a. 1270 IX, 13; 1292 M, X; 1497 L, VI; quae lex si ad mulieres mercatrices referretur, argumentum quoque praeberet sententiae infra (§. 49) commemorandae, tantum in negotiis ad mercaturam pertinentibus mulierem mercatricem liberam esse a curatore.

[4]) De forma *„Einzeugung,“* qua mulieres mercatrices reddantur iure hamb: cf. *Heise & Cropp Abh.* I Nr. II n. 5; *Klefecker Samml.* IV §. 158; *Gries Comm.* I p. 19 n. * *; iure lub: cf. *Stein Abh.* III §. 138; *Heise & Cropp Abh.* I Nr. II; cf. etiam R. St. II, 1, 14.

[5]) Stat. Ref. 62 (cf. *Berck* n. 250); Gl. Krefft. p. 128; (cf. *Berck* n. 197); cf. etiam *v. Rheden*: diss. de muliere mercat. (Brem. 1717) Sect. III, et eundem: diss. stat. ad merc. compos. (Brem. 1724) §. 54 sqq.

[6]) Quod quamvis statuta nulla praescripserint, tamen ubique semper valuit. Lub: *Merius* Comm. ad R. St. III, 6, 21 Nr. 39. Hamb: idem ex verbis comm. *Veg.* ad stat a. 1605 II, 8, 1 ad verba: *„Kaufmanschaft gebrauchen“* colligi posse videtur. Brem: Merito *H. Hacke* l. c. cap. III §. 8 de definitione, quam statuit glossa Krefft. „interim exactius“ ait „et magis perspicue mercatrix describitur, quae commercia mercatoria exercet suo periculo et commodo, sive sola sive in societate aliorum.“

[7]) R. St. I, 7, 8; cf. *Mantzel & Tonnagel* l. c. thes. VI Nr. III.

person unter 25 Iahren, wie sonsten Frauen und Jungfrauen zu keinen Zeiten Macht haben, Sachen vor Gericht zu führen ohne ihrer Vormünder Consens und Willen." Pariter et statuta hamburgensia anni 1605 [8]) omnibus mulieribus dant curatores iudiciales. Neque tamen sibi constans hac in re consuetudo vitae forique usus fuisse, [9]) magis magisque vero ad affirmandam eam quaestionem duxisse videtur, [10]) quamvis saepe falsis confirmata sit argumentis, [11]) ex quibus tamen ipsis id colligere possumus, usum forensem utilitatemque communem, ut haec quaestio affirmetur, postulasse.

Quaerendum autem est, num forte iam antiquitus statuta hac quoque ratione liberiores reddere voluerint mulieres mercatrices, deinde utrum huic sententiae leges supra allatae [12]) obstent.

Stat. lub. nec non hamb., quamvis speciatim non dicant, mulieres mercatrices sublata cura sexus masculis pares ponere volunt. [13]) Praeterea statuta lubecensia nisi hac quoque ratione mulieres mercatrices ceteris praeponere voluissent, in legibus [14]) certe, quarum verba tam generalia sunt, speciatim id cavissent. Sin autem in negotiis, quorum leges illae mentionem faciunt, mercatricibus curatorem iudicialem adhibendum non fuisse accipiamus, nulla est ratio, cur alioquin iis non tribuatur persona standi in iudicio? Cui sententiae neque leges supra dictae [15]) obstant, quae regulam tantum statuunt, cuius postea in mulieribus mercatricibus exceptio statuenda est. Quare dicere possumus, has leges quamvis de mulieribus agant, tamen mercatrices non comprehendere, quae viris hac ratione pares habendae sint.

§. 48.

Ex iisdem autem legibus procul dubio sequitur, ut mercatrices

[8]) Stat. a. 1605 I, 9, 1.

[9]) cf. Mevius Comm. ad R. St. I, 7, 8. Nr. 28 & 29; cf. *v. d. Fecht Comm.* ad stat. hamb. a. 1605 II, 8, 1: „non tamen habet" (i. e. femina mercatrix) „personam standi in iudicio, *und muss* in iudicio per curatorem *agiren.*" Contra autem cf. *Uffelmann Comm.* ad stat. hamb. a. 1605 I, 9, 1; cf. etiam *Baumeister* §. 97 i. f.

[10]) Quod idem fuisse iure hamb. colligere fortasse possumus ex aetatis differentia, quae est inter commentarios modo dictos *(Hamb. Stat. v.* 1605 ed. 1842 *Einl.* p. XXVII & XXX); cf. praeterea *Baumeister* §. 97 Nr. IV n. 31 scriptoresque ibi allatos.

[11]) Ut *Mevius* l. c. eo hanc sententiam confirmat, ut alioquin creditori actio per obligationem acquisita nil proficeret, nisi uxor personam haberet standi in iudicio!! Idemque dicunt *Mantzel & Tonnagel* l. c. thes. X.

[12]) Stat. lub. Cod. Hach II, 96 not. 11. (Bb, 6; Bc, 47; K, 92); *„de sint mechtig like mannen."*

[13]) Quod quidem quamvis iure brem. aliud fuisse accipiendum non est, tamen hoc loco omittere possumus, quoniam Bremae omnino hanc mulierum conditionem iam diu immutatam esse supra (§. 33) vidimus; cf. etiam *Berck* n. 623 princ.

[14]) Stat. lub. Cod. Hach I, 21; II, 96; III, 134; R. St. I, 10, 1.

[15]) Stat. lub. a. 1586 I, 7, 8. Stat. hamb. a. 1605 I, 9, 1.

in iudiciis extra iudicialibus — id quod nobis multo maioris momenti est! — a cura sexus liberae sint. Multo maior igitur iis, quam reliquis, facultas datur validas contrahendi obligationes. Neque vero eiusmodi obligationes plane differunt ab iis, quas validas contraxerunt reliquae mulieres. Unde creditori idem est ius adversus uxorem mercatricem aut maritum eius agendi, quod supra adversus reliquas tribuimus. Non enim, licet uxor sit mercatrix, ius ipsum ex contractibus cum ipsa initis agendi immutatum est, sed intra maiores tantummodo fines creditoribus competit; maritique officium ex uxoris vel ex suis bonis creditoribus illis satisfaciendi non maius est, etsi frequentius obveniat.

Itaque et in uxoribus mercatricibus respiciendum est, utrum uxoris negotiatio reservatis eius bonis adnumeranda sit. Tunc enim in maritum nullo modo maior cadit obligatio, quam ex pactis ab uxore non mercatrice initis, et quod inde provenerit lucrum soli uxori cedit. [1]) Itaque tum creditores et ex universo hoc quaestu omnibusque prorsus ex bonis ab uxore ad mercaturam reservatis solutionem omni tempore petere possunt. Ea autem, quae in mariti manibus una cum ipsius bonis unita sunt, durante matrimonio uxoris creditores nullo modo, quin soluto eo tunc demum aggredi possunt, ubi uxor et ex his bonis obligari voluerit. [2]) Sin autem uxori illatorum pars reddita fuerit, quibus tamquam mercatrix negotia gerat, omnium, quae lucratur, quasi collaborationis dominium marito tribuendum est. Quamvis enim statuta nominatim nihil ea de re agant, tamen nulla est ratio, cur aliud dicatur. [3]) Fieri autem etiam potest, ut maritus uxori illatorum bonorum partem reddat ad negotia gerenda, non ut lucrum deducto aere alieno collaborationi accedat, sed ut bona reservata uxoris augeat. [4]) Quod quomodo ab illo discrepet palam est. Quamvis enim, nisi pacta obstent, ipsi marito in neutro casu ob publicam fidem partem illam bonorum illatorum ex arbitrio suo recipere liceat, eius tamen creditores lucrum illo in casu, scil. ubi collaborationi adscriptum sit, aggredi poterunt, non vero in altero, si reservatis uxoris bonis accrescere debuerit. In diiudicandis autem debitis, quae ipsa uxor contraxit, si reservatis bonis lucrum istud adnumeratur, imprimis ea praecepta valent, quae supra de debitis data sunt ex bonis reservatis solvendis, quare lucrum illud creditores

[1]) cf. e. g. litteras quas affert *Pauli* II p. 58 sq.

[2]) cf. *Thöl Handels-R.* I §. 27^{a} i. f.

[3]) Eandem sententiam defendit *Pauli* II §. 15; eundemque ad finem perveniunt *Mantzel & Tonnagel* l. c. thes. XIV, quamvis dubium esse iure lub. dicant ex communione bonorum argumenta afferentes, quorum maximum, quod obstet, quominus maritus id lucretur et ad sua debita solvenda eo possit uti, — iniquum enim esse aiunt, quoniam maritus non ex obligationibus ab uxore in negotiis illis gerendis teneatur — cum hac ipsa opinione tollitur.

[4]) Qua de re agere videtur documentum, quod exhibet *Pauli* II n. 52.

omni tempore aggredi possunt. Sed etiam ex illatis, quae ad negotia gerenda maritus uxori reddiderat, creditores mercatricis solutionem petere posse concedemus, quoniam alioquin vix unus cum uxore contraheret. Reliqua autem illata isti uxoris creditores nullo modo aggredi possunt, nisi ostenderint haec quoque bona maritum teneri voluisse. Ubi vero ut collaborationi lucrum mercaturae accrescat conventum est, mercatricis creditores non solum lucrum ipsum adire possunt, (quoniam lucrum non est nisi deducto aere alieno,) itemque bona ipsa uxori ad negotiandum reddita (mariti enim potius sunt debita, quippe qui omnem eventum suscipere videtur, ita ut quae uxor lucratur marito ipsi prosit, noceatque quae perdit,) [5] — sed etiam eadem ex causa omnia coniugum unita bona, nisi maritus ostendere possit, se illa tantummodo quae reddiderit teneri voluisse.

§. 49.

Quae autem liberior conditio feminis mercatricibus non nisi in iis obligationibus competit, quae ad commercium et mercaturam spectant. [1]) Id quod, licet in legibus expressim non sit dictum, [2]) necessario sequitur ex ratione ipsa, quae liberiorem illam conditionem mercatricibus dare suaserit utilitatis publicae commerciique augendi causa.

Neque vero huc numeranda solum sunt negotia mere et quasi directe mercatoria, qualia sunt emtio et venditio mercium ad mercaturam necessariarum, [3]) locatio tabernae [4]) etc., sed omnia quae respectu mercaturae inierit mulier, qualia sunt „pecunia ad emtionem mercium insumta,“ [5]) aut pignora hypothecaeve pro debitis mercatoriis constituta. [6])

5) Quo referendum esse videtur stat. lub. Cod. Hach II, 96, Cod. Uffenb. in not. 9: „*hebben se ok kopenshap so mud de vrouwe und de manne samentliken betalen.*“ Quod praeceptum hamb. statutis deest, sed in statutis rigensibus illis propinquissimis reperitur. Stat. Rig. I art. 11. (*Pauli* II not. 51.)

1) Lub: *Mantzel et Tonnagel* l. c. thes. XIII; *Oberstadtbuch* append. II; *Mevius* Comm. ad R. St. I, 10, 1 Nr. 59—61; 77—79; ad III, 6, 21 Nr. 28 & 29; *Stein Abh.* II §. 55; III §. 137. Hamb: *Gries Comm.* II p. 19 n. *; *Comm. Synd. Möller* ad stat. hamb. a. 1605 II, 8, 1. verb: „*kauft und verkauft.*“ cf. etiam *Hartung* l. c. p. 71, & *Reimbold* l. c. §. XII sq. Brem: *v. Rheden* de merc. mul. III, 4. Argumenta ex decisionibus iudiciorum brem. affert *Berck* n. 624.

2) Verba enim praecepti iuris lub. (R. St. III, 6, 21) hac in re levissimum tantum praebent argumentum; maius (ut supra §. 47 diximus) lex stat. hamb. a. 1270 IX, 13.

3) Verba igitur statutorum haec tantum negotia interdum respicientia extendi debent.

4) cf. *Mevius* Comm. ad R. St. III, 6, 21 Nr. 31.

5) cf. *Mevius* Comm. ad R. St. I, 10, 1 Nr. 62; cf. etiam eundem ad III, 6, 21 Nr. 32 (— „tam ex mutuo quam ob pignus obligatur, quia mercaturae causa contraxit.“); cf. etiam *Comm. Synd. Möller* n. 1. cit.

6) cf. *Mevius* Comment. ad R. St. III, 6, 21 Nr. 32; cf. etiam eundem ad I, 10, 1 Nr. 62, ubi idem ait quamvis sit dubium.

Idemque vel de bonorum immobilium venditione dicendum erit, dummodo eo fine et consilio alienentur, quo mercaturae proficiatur. Quemadmodum enim intra hos fines sine curatore bona sua immobilia impignorare potest, ita etiam ea vendendi ipsi non denegabitur facultas. [7]) Neque denique negandum est bonorum immobilium emtionem itidem interdum hac ratione mercatoriis negotiis adnumerandam esse.

Uxorem autem singulis in negotiis tamquam mulierem mercatricem egisse, is probare debet, qui ea re nititur; — neutrum enim praesumendum est. [8])

[7]) *Mevius* Comm. ad R. St. I, 10, 1, Nr. 62.

[8]) Aliter iudicat *Mevius*, qui ad R. St. III, 6, 21 Nr. 30 multorum scriptorum affert nomina. Contra autem cf. *Thöl Handelsrecht* I §. 50 not. 7.

PARS II.
DE
CONIUGUM DEBITIS SOLUTO MATRIMONIO.

Cap. I.

Matrimonio per mortem alterius coniugis soluto.

§. 50.

Debita coniugalia, quomodo nuptiis per alterius mortem solutis diiudicentur, inquisituri, imprimis brevi conspectu referamus oportet, qua ratione bona dividantur inter superstitem reliquosque praedefuncti heredes, paucisque de heredum officio agamus, defuncti debita aut ex eius aut ex sui ipsius bonis solvendi, quo cognoscamus, unde et quousque praemortui creditores solutionem sint impetraturi. Isto autem totius inquisitionis quasi fundamento posito, de debitis quae maritus quaeque uxor contraxerit, singulatim agamus, paucissima de parentis superstitis liberorumque debitis et quomodo diiudicanda sint durante compossessione, ultimo loco addituri. Quamquam enim, ut de coniugum debitis agamus, nobis proposuimus, ideoque debita, quae parens superstes contraxerit, proprie huc non spectent, tamen in iis diiudicandiis non sine omni momento est matrimonium tum, si liberi cum parente superstite bonorum communium habent compossessionem. [1])

Tit. I.

De bonis coniugum inter superstitem reliquosque praedefuncti heredes dividendis.

§. 51.

Summum principium, quo in divisione bonorum mariti manui subiectorum in eaque unitorum nituntur eius generis statuta, quibus et nostra adnumeranda sunt (cf. supra §. 5.), id fuisse videtur, ut post mortem alterius coniugis, bona ab uxore illata ipsi aut heredibus eius restituantur simulque damna aliquatenus resarciantur, quae ex alienationibus mariti aut illicitis aut ultra onerum matrimonialium rationem factis possint sentire. Quod principium, quin in dies magis efflorescente com-

[1]) Quare liberi, cum quibus divisit parens superstes, respiciendi non sunt.

mercio, atque liberiore facta mariti conditione, alias atque alias difficultates in bonis separandis evocaret, fieri non potuit; quas, qui naturalem respiciebant coniugum conditionem, unde originem potissimum duxerunt, eo odiosiores haberent necesse erat. Quare paullatim aut eo perventum est, ut semper omnium bonorum nou amplius separandorum utrique coniugi pars quaedam certa daretur, aut eo, ut saltem superstitibus liberis, quippe qui postea omnium utriusque coniugis bonorum heredes fierent, iste divisionis modus obtineret; liberis autem non exsistentibus antiquior ille ac principalis retineretur, nisi quod mulieri eiusve heredibus non amplius, quae extra fines matrimonii alienaverit maritus, ex ipsius bonis supplerentur, sed pro certa eorum parte verum daretur ius hereditatis. [1])

Utramque autem dividendi rationem hisce in civitatibus invenimus legibus usuque comprobatam, quare coniunctim de omnibus agere non possumus.

§. 52.

I. Liberi si superstites non sunt [1]), iure lubecensi maritus superstes dimidiam partem eorum bonorum, quae cum uxore acceperat, [2]) retinet, reliqua heredibus uxoris reddit. [3]) Vidua contra praeter morgengebam bonaque illata, „*ofte es dar is*," dimidiam accipit omnium bonorum, quae maritus reliquerit, partem, altera dimidietate heredibus defuncti remanente. [4]) De verbis: „*ofte es dar is*" magna est controversia, eorum-

[1]) Bonorum eiusmodi dividendorum alii alias reddunt rationes, quarum lepidissimas quidem explicat *Dorn* in solutione, problematis iur. lub., quaenam sit ratio, ut communio aeris alieni inter coniuges exsistat, si matrimonium prole ditatum, nulla, si sit improle? Kiliae 1736. (*Gesterding* thes. iur. lub. II, XVII). Ubi verus sit amor, bona quoque esse communia, verum autem amorem imprimis esse inter coniuges, quibus ideo bona esse deberent communia. Utrum autem verus inter coniuges sit amor, ex conscensione thalami intelligi. Quare ex tempore thalami conscensi communionem bonorum incipere debere. Quod tempus autem quum bene confirmari non posset, duplicem esse viam, quarum utramque diversis in locis secuti essent. Aut enim dicendum esse, sufficere actum aliquem, quo conscensio thalami symbolice significaretur, aut ad eam confirmandam, liberos natos esse debere.

[1]) Id quod appellamus „*unbeerbte Ehe*," de quibus verbis cf. *Pauli* II n. 52[a]; *Michelsen Oberhof* Nr. 211 (a. 1489). Praemortuorum quaenam sit ratio habenda in diiudicando officio uxoris mariti debita solvendi, recte exponit *Urtheil dss Oberhofgerichtes zu Greifswalde*, cuius verba exhibet *Gesterding* anal. iur. lub. XXII. Eundem ad finem quamvis aliunde profectus, pervenit *Trummer E. R.* §. 143. De privignis cf. stat. hamb. a. 1605 III, 3, 10. Comm. ad verb: „*keine Kinder*"; et *Gries Comm.* II p. 297; *Trummer* l. c.

[2]) Quibus quid adnumerandum sit cf. *Pauli* II p. 67 sqq. Quoad bona reservata plerique scriptores diversam defendunt sententiam (cf. *Pauli* n. 63), quoniam communia esse bona coniugibus lubecensibus putant. In morgengeba, de qua statuta nil cavent, valuisse videtur quod praescribit Sachs. Sp. III, 38, 3; cf. *Pauli* II p. 73.

[3]) Cod. Hach I, 9; II, 21; III, 127; R. St. II, 2, 12; cf. etiam *Michelsen Oberh.* Nr. 187 (a. 1486).

[4]) Cod. Hach I, 8; II, 21; III,

que mihi placet sententia, qui putent, uxorem nihilo secius alienatarum rerum petere posse pretium. [5]) Qua in quaestione decidenda non leve etiam tribuendum esse videtur momentum praecepto illi veterum statutorum: [6]) „*Wor en man unde en wyf in echteschop tosamende koment, mit gode wovele des sy, en winnet se nene kindere tosamende, unn vorarmet se unde se van bloter hand gut wieder werven, sterret dat wyff, de man schal gheven eren erven den halven brutschat, den se to em brochte, sterret over de man erst, de vrouwe nemet eren gantzen brutschat tovoren, darna dat ander gut halff.*" Utrum autem supplere debuerit maritus, quae omnino, an ea demum, quae minus recte alienaverit, nostrum quidem non est, ut diligentius inquiramus. Sed adnotasse mihi liceat, quamvis iure communi hisce finibus officium illud mariti circumscribendum esse putaverim, in statutis tamen lubecensibus nusquam eiusmodi inter alienationes obviam esse distinctionem, neque aliorum statutorum similitudinem hac ratione quidquam prodesse, in quibus portio statutaria ipsa uxori tamquam ad compensanda bona a marito alienata datur. Nam iure lubecensi ex alia ratione uxor portionem illam hereditariam potest accipere; scil. ut compensationem aliquam habeat pro bonis collaboratis, quae universa marito cedunt. Praeterea statuta lubecensia durante matrimonio mariti quam liberrimam esse volunt conditionem, illo autem soluto mulieri omnia, quae inde passa sit, damna quam plurimum fieri possit compensatum iri.

Iure hamburgensi maritus superstes bessem, uxoris heredes trientem universorum bonorum accipiunt; uxor autem superstes cum mariti heredibus aequis partibus ea dividit. [7]) Ceterum quod antiquitus hac quoque in civitate bona coniugalia quoad originem separata fuerint, vestigium aliquod exhibent duo veteres codices, [8]) qui superstiti praeter sui ipsius bona, omnium defuncti bonorum dimidiam partem dimidiamque huius propinquis concedunt. Nam vel si reliquis praeferendi non sint, tamen id certe docere videntur, immutationem quandam illis temporibus in coniugum successione factam, antiquissimumque ius hamburgense lubecensi hac in re similius fuisse quam hodiernum.

Bremae denique quomodo bona coniugum dividenda sint, ipsa quidem statuta nihil praescribunt, [9]) ex quibus id certe colligere possumus, marito

127; R. St. II, 2, 12; cf. etiam *Michelsen Oberh.* Nr. 149 (a. 1483). Quomodo probètur bona quaedam esse illata cf. *Pauli* II §. 19.

[5]) cf. *Pauli* II p. 75 — 80, quem *Kraut Vormundsch.* II §. 94 n. 9 minus recte inter sibi assentientes numerasse videtur; cf. etiam *Stein Abh.* III §. 41; contra cf. *Cropp* II p. 512, 526; *Hasse Zeitschr. f. gesch. Rechtswissensch.* IV p. 102.

[6]) Cod. Hach III, 240.

[7]) Stat. a. 1270 III, 10; 1292 E, XVIII; 1497 J, XIX; 1605 III, 3, 8. De bonis reservatis eandem sententiam quam *Pauli* (n. 2 cit.) defendit *M. H. Schele* dissert. de portione statutaria hamb. §. 18.

[8]) Stat. a. 1270 III, 10 not. c. Var. C. D.

[9]) Stat. a. 1303 O. XLI („*So wor*

praedefuncto viduam improlem non solam fuisse heredem, quamvis quale et quantum fuerit, quod mariti cognatis competierit succedendi ius, minime pateat. [10]) Ceterum constat marito sine liberis praemortuo ex universis utriusque coniugis bonis quasdam res [11]) pro *„Heergewette“* separandas atque proximis ex paterna stirpe cognatis *(„den nechsten schwerdmagen“)* [12]) relinquendas [13]) fuisse; nec non post uxoris orbae obitum ea, quae *„Niftelgerade“* vocantur, inde dari debuisse. [14]) Quod vero ad hodiernum ius attinet, coniugi sine liberis superstiti universa bona iam diu ex usu forensi remanent. [15]) Quae superstitis successio quomodo paullatim se explicaverit, neque nostrum est ut inquiramus, neque omnino est indubium; sed bene comprobetur sententia, [16]) principio coniugem sine liberis superstitem in bona mobilia alterius successisse, sublatoque heredum proximorum iure (§. 14.) atque eorum bonorum, quae *„Heergewette“* et *„Niftelgerade“* appellantur, ibi per legem specialem abrogata, [17]) hic ex usu forensi obsoleta [18]) separatione, postremo coniugis ius hereditarium adeo auctum esse, ut superstes esset heres ex asse.

§. 53.

Quibus generalibus de coniugum successione praeceptis specialia quaedam addenda sunt:

1. De iure mariti statutariam uxoris partem per mortis causa dis-

twe thosamene komet, an echtschep, — — storve er en, dhe ander scal sine sculde gelden — —“); 1428 II, 10; 1433 O. 86 non directe huc spectare facile intelligetur. Cf. etiam *Berck* p. 293 sqq., qui ex istis legibus (1303 O. XLI etc.) id procul dubio non sequi recte dicit, solam heredem fuisse uxorem orbam. Quamvis enim si de sola uxore istic ageretur, diceremus, ex eo, quod uxor ex suis bonis mariti debita solvere debeat, omnino non esse intelligendum, an re vera ei datum fuerit ius in bona maritalia succedendi, tamen, quoniam leges simul de marito et de uxore agant neque ille ad omnigena uxoris debita solvenda possit, nisi qua eius heres, videri obligatus, his ipsis ex legibus fortasse posset sequi, ius aliquod hereditarium uxori bremensi fuisse.

[10]) Stat. a. 1303 O. CXXIV; 1428 II, 23; 1433 St. 21; coll. cum 1303 O. CX; 1428 II, 24; 1433 St. 20.

[11]) Quae bona iis adnumeranda fuerint cf. *Oelr.* p. 152 & 409 sq.

[12]) cf. *Schede* 216 a. 1437 *(Oelr.* p. 252); *Landr. d. 4 brem. Gohen* etc. *V Werderland: Oelr.* p. 560; *Landr. v. Nyenkerken: Oelr.* p. 564. Quaenam praeterea esse debuerint adquisituri qualitates cf. stat. a. 1303 O. CXIX; 1428 II, 26; 1433 St. 26 & 27; *Schede* a. 1509, quam perscribit *v. Büren* fol. 62[a] *(Berck* n. 297).

[13]) Intra quod tempus exigendae fuerint cf. stat. a. 1303 Cod. II O. 128 *(Oelr.* p. 141); 1433 St. 28.

[14]) Statuta nil iis de bonis cavent; cf. de utrisque illis bonis *Berck* p. 302 & n. 308[aa] & 308[b].

[15]) Scriptores, qui ea de re egerint, affert *Berck* p. 293 & n. 284 & 284[a].

[16]) *Berck* §. 23.

[17]) *Verordn. v. 20. Sept.* 1592, cf. *Groening*: de separatione liberorum eiusque fundamento, communione bonorum sec. iura stat. brem. specimen inaugurale. Gotting. 1771 p. 62. not. [a].

[18]) cf. *Berck* n. 317.

positionis aut diminuendi aut auferendi, statuta non consentiunt. Lubecensia enim hoc ius ei tribuunt, [1]) exceptis bonis hereditariis, [2]) — hamburgensia, nisi uxor fidem coniugalem laeserit, diversam sequuntur sententiam, [3]) — bremensia nil praescribunt. [4])

2. Vetus illa consuetudo, ne intra diem trigesimum post mortem mariti hereditas viduae esset dividenda, quae etiam Lubecae, [5]) nec non — quamvis in statutis recentioribus immutata sit eius forma — Hamburgi [6]) valebat, in statutis bremensibus nusquam commemoratur, ibique nunquam obtinuisse videtur. [7])

3. Vidua praegnans ex bonis expellenda non est, quare hereditas non ante editum partum dividitur. [8])

§. 54.

II. Liberis superstitibus omnia nostrarum civitatum statuta in eo consentiunt, quod universa coniugum bona non principales in partes seiungantur, sed unum constituant patrimonium, cuius superstiti una cum liberis competat compossessio, sive maritus sive uxor superstes sit. [1]) Quod quamvis inter omnes constet, tamen de natura ipsa huius inter liberos et parentem superstitem communionis nequaquam consentiunt scriptores. Quoad ius lubecense et hamburgense condominium bonorum communium eis pro indiviso tribuerim; [2]) iure autem bremensi distinguendum esse

[1]) cf. litteras, quas affert *Pauli* II p. 85 sqq; *Stein Abh.* II §. 135; *Michelsen Oberh.* Nr. 68 (a. 1474).

[2]) cf. litteras, quas affert *Pauli* II p. 84 i. f.

[3]) Stat. a. 1270 VI, 7; 1292 E, XVI; 1497 J, XVIII; 1605 III, 3, 11. *Elers* l. c. §. XLII de hac exceptione non agit.

[4]) De usu forensi saeculi XVII & XVIII et de dubitationibus hoc tempore de eo ortis cf. *Berck* p. 306; n. 323-325.

[5]) Stat. lub. Cod. Hach IV, 14; R. St. II, 2, 27; qua lege idem sine ulla ratione (cf. *Pauli* II p. 92.) marito conceditur. Ex R. St. I, 5, 13 mulieri etiam ultra hoc temporis spatium bona retinere licet ad impetrandam cautionem.

[6]) Stat. a. 1270 III, 14, qua ex lege profluit Cod. Hach IV, 14 (cf. not. praec.); 1292 E, XIII; 1497 J, XIII; 1605 III, 3, 10, ubi utrique coniugi superstiti ius habitationis per totum annum atque vestes lugubres et alimenta adscribuntur.

[7]) *Berck* n. 289.

[8]) Lub: stat. rev. II, 2, 30; *Stein Abh.* II §. 301. Hamb: stat. a. 1270 IV, 8; 1292 F, VIII. Brem: stat. a. 1303 O. CX; 1428 II, 24; 1433 St. 20, unde itidem argumentum sumere possis, quod antiquitus uxor non sola fuerit mariti heres. (cf. supra §. 52 n. 9).

[1]) Stat. lub: Cod. Hach I, 7; cf. etiam II, 27; R. St. II, 2, 8; litterasque quas affert *Pauli* II p. 141. Stat. hamb: a. 1292 E, XXIV; 1497 J, XXII; 1270 III, 2 sqq; 1292 E, II sqq; 1497 J, VII sqq; 1605 III, 3, 2. 7. 13. Stat. brem: a. 1303 St. B. III pr. IV pr; 1428 II, 5 & 11; 1433 St. VII & VIII pr.

[2]) Liberos condominos factos esse nihilque valere, quae contra hanc sententiam ex Cod. Hach II, 19 n. 6 & R. St. II, 2, 10 colligi posse videantur, ostendit *Pauli* II p. 114 sqq. Contra eius similemque Griesii sententiam pugnat *Trummer E. R.* §. 150—159.

videtur, uter coniux praemoriatur. Matre enim superstite ista regula valuisse, [3]) pater autem superstes solus omnium bonorum factus esse videtur dominus. [4]) Quare hac in civitate quum incertum tantummodo liberis sit ius hereditarium nullaque iis ante patris mortem competant iura, huius multo liberior est conditio, quam ubi condominium liberis competat. Ceterum semper et ubique patri quam viduae maior competit in bona compossessa potestas, quamvis et huius administratio nequaquam ex liberorum iuribus tam angustis finibus circumscripta sit, quam ex mariti durante matrimonio. [5]) De quibus et superstitis et liberorum iuribus fusius atque speciatim agere, pro nostro proposito superfluum, certe hoc loco (cf. infra §. 82 sqq.) haud necessarium mihi videtur, sufficitque adnotasse, eo praeprimis scriptorum [6]) esse dissensum, an et quatenus liberis acquiescendum sit alienationibus, quas inter vivos vel mortis causa fecerit superstes; id vero inter omnes plane constare, [7]) liberos a superstite esse alendos educandos atque dotandos, [8]) bonisque communibus a superstite administrandis quasi augmentum accedere omnem eius adquaestum nisi forte ea conditione, ut augeantur bona reservata superstiti aliquid obvenerit; [9]) adquaestum vero liberorum, nisi speciatim aliud constitutum sit, communibus bonis non accrescere. [10])

§. 55.

Ipsam vero communium bonorum divisionem et imprimis quidem, quando inter superstitem et liberos fiat, non possumus quin paullo accuratius inspiciamus. Superstitem, quocunque tempore velit, dividere posse, [1]) satis notum est; interdum autem etiam cogi poterit ut dividat.

[3]) *Berck* p. 349 sqq. („patre mortuo bona censentur divisa,“) not. 386 sq.

[4]) Id quod ostendit *Berck* p. 336 sq., qui not. 344 etiam enarrat, quomodo hoc cursu temporum immutatum sit.

[5]) Qua de conditione cf. infra §. 83.

[6]) cf. *Pauli* II p. 145; *Trummer E. R.* §. 167; *Berck* p. 355 sqq.

[7]) Lub: *Pauli* II p. 145. Hamb: stat. a. 1605 III, 3, 3 & 5; Rec. a. 1529 art. 55; *Trummer E. R.* §. 168. Brem: *Berck* p. 356 sq; cf. etiam *Schede* 112 a. 1333. *(Oelr.* p. 211.)

[8]) i. e. „*aussteuern*,“ quod et in masculis valet. De quaestione utrum praeter dotem illam subsidium quoque, quod dicunt, paternum dandum sit, cf. *Trummer E. R.* §. 170; contra cf. *Erkenntn. d. O. A. Ger.* apud Trummer l. c., & *Cropp* II p. 571, n. 245; *Gries Comm.* II p. 251 sqq.

[9]) Stat. lub: Cod. Hach II, 37, cuius verba ultima false interpretata sunt statuta a. 1586 II, 2, 16; cf. *Stein Abh.* II §. 213. Stat. Hamb: a. 1270 III, 2; 1292 E, II; 1497 J, VII; 1695 III, 3, 13. Bremae matris adquaestum (nisi per bona communia quocunque modo adquisitus sit) bonis reservatis in dubio adnumerandum esse *Berck* p. 355 putat.

[10]) Lub: cf. *Pauli* II n. 161, scriptoresque ibi allatos; *Stein Abh.* II §. 214. Hamb: cf. e. g. stat. a. 1605 III, 3, 4 de bonis ad liberos durante compossessione iure hereditario devolutis. Brem: Patre superstite *Berck* arg. p. 355 sq. eandem sequitur sententiam.

[1]) Lub: stat. a. 1586 II, 2, 29 pr. Litteras quasdam veteres affert *Pauli* II p. 200 — 202; *Stein Abh.* II §. 124 & 194. Hamb: Comm. ad stat. a. 1605 III, 3, 3 verb: „*so mag er nicht genö-*

a. De divisione, quae cum uno alterove ex liberis locum habeat, statuta nostra nequaquam consentiunt; lubecensia enim vetera singulis filiis filiabusque simulatque „ad annos suos pervenerint“ (id quod tunc temporis peracto iam anno XVIII vel XII obtinuit,)[2] partem suam eamque omnium bonorum a parente superstite postulare permittunt;[3] quod tamen tempore recentiorum statutorum eo iam immutatum erat, ut tantum ex praedefuncti bonis partem suam exigere possit.[4] Statutis contra hamburgensibus eiusmodi dividendi necessitas plane ignota est,[5] liberisque nil competit nisi congrua dotatio. Simile ius Bremae obtinet quoties pater est superstes.[6] Hoc autem praemortuo filius qui ad maiorem pervenerit aetatem filiaque nuptura[7] suam bonorum partem ex huius quoque urbis statutis antiquis poscere potuerunt.[8] Non enim hac leges, quippe quae expressim dicant *„gheven eren deel,“* ad consuetudinem illam, quam nostro sermone significamus per verba: *„einen Ausspruch thun,“* mihi videntur referenda. Nostrorum autem temporum ex consuetudine parens superstes et Bremae cogi amplius non potest, ut re vera dividat.[9]

Ceterum duae speciales supersunt causae, quae ex iure antiquo bremensi et lubecensi partiali divisioni ansam poterant dare. Huius enim urbis statuta vetera praescribunt, ut filius, qui ad adminstrationem communium bonorum admissus prodige administret, partem suam accipiat, atque ex communione bonorum excludatur.[10] Statuta autem bremensia cavent, ut si filius maior per honestam vitam moderatosque mores adduxerit parentem superstitem, ut negotiis eius mercatoriis praeponatur, portio statutaria, quae ipsi in dividendis bonis competeret, pro debitis eius, quae communia bona non iam per se afficiant, teneatur, creditoribusque solutionem petentibus non denegetur.[11]

b. Omnibus cum liberis ut communia bona dividat parens superstes, tum praeprimis ex omnibus statutis cogi potest, si prodige et immoderate se gerat;[12] idemque iure lubecensi de matre superstite, quae

thigt werden.“ Brem: patre superstite stat. a. 1303 St. 27; 1428 II, 22; 1433 St. 23; — matre superstite nil cavent leges; cf. autem *Berck* n. 414.

2) Stat. lub: Cod. Hach II, 203; de iure recentiore, quaeque hac ratione oriantur dubitationes cf. *Pauli* II p. 160 sqq.

3) Cod. Hach II, 20; III, 126. Alia documenta affert Pauli II p. 165 sqq.

4) R. St. II, 2, 11.

5) Ius tantummodo inspiciendi liberis maioribus concessum fuisse videtur, cf. *Comm. Synd. Möller* ad stat. a. 1605 III, 3, 4.

6) Stat. a. 1303 St. B. IV etc. coll. cum stat. a. 1303 St. B. III etc.

7) De quaestione, utrum statuta de pubertate tantum loquantur an de matrimonio revera inito, cf. *Berck* p. 364.

8) Stat. a. 1303 St. B. III; 1428 II, 7 & 8; 1433 St. 7.

9) Quod quomodo effectum sit, ostendit *Berck* not. 440.

10) Cod. Hach II, 22; III, 128, de qua huius legis interpretatione cf. *Pauli* II p. 174 sq.

11) Stat. a. 1303 O. 58; 1428 II, 16; 1433 St. 24.

12) Lub: stat. a. 1586 II, 2, 8; *Mevius* Comm. ad R. St. art. cit. Nr. 85. Hamb: Stat. a. 1605 III, 3, 3 „— *und*

monasticam vitam subire velit, speciatim cautum est — [13]) nihiloque minus si superstes sit maritus, nec non ex iure hamb. et brem. obtinuisse accipiendum erit pro illius vitae natura et ratione. [14])

De parente ad secundas nuptias properante, an dividere debeat cum liberis, non consentiunt statuta. Iure lubecensi eiusmodi divisio commemoratur [15]) neque tamen necessaria fuisse videtur. [16]) Hamburgi olim necessaria nequaquam habita est; [17]) in statutis autem recentioribus divisionis obligatio utrique certe coniugi binubo imponitur, sed a vidua tantummodo fieri plane necesse est [18]), quum si omissa fuerit a patre superstite, nil ipsi praeiudicii inde oriatur. [19]) Iure denique bremensi omnino non debet dividere maritus alteram ducens uxorem, uxor autem binuba debet sub poena 60 librarum. [20])

§. 56.

Nihilo magis quam in his, quae modo diximus, consentiunt statuta nostra quoad partes in comunium bonorum divisione faciendas. Iure enim lubecensi ea omnia aequis partibus inter liberos parentemque dividuntur, [1]) sive pater sit superstes, sive mater. Hamburgi autem divisio si facienda est inter viduam atque unum filium filiamve, aequis partibus bona dividuntur; sin vero plures sunt liberi, hisce duplex, tertia uxori datur portio. Maritus e contra superstes, cui uno cum filio filiave divisio facienda est, duas partes accipit, filioque tertiam relinquit,

stehet seinen dingen recht vor —"; III, 3, 5 — „*und wohl Haus hält* —." Veteribus in statutis non commemoratur, quamvis quin pariter valuerit dubitare non possumus. Brem: stat. a. 1303 St. B. IV; 1428 II, 11; 1433 St. 8. „— *truwelike holden* —"; 1303 St. 3; 1428 II, 5; 1433 St. 7. „— *holt sik de vrowe wol und erlike* —." Utrum ex verbis: „*truwelike holden*" sequatur, ut si frustra maritus admonitus sit „*dhat he thes vortäge*," partes bonorum communium ad liberos pertinentes ad tempus tantummodo administrentur (cf. *Berck* n. 349 nec non *Donandt* l. c. II p. 195) dubium mihi quidem esse videtur. Ubi *Berck* de matre superstite hac ratione agit (n. 417) temporalem esse debere illam administrationem non putat. His temporibus plerumque ad evitandam divisionem curator constituitur. *Vorm. Ordn. v.* 1826 §. 100.

13) Cod. Hach II, 27; R. St. II, 2, 8.

14) cf. *Berck* n. 353.

15) Cod. Hach II, 191; III, 47 & 48.

16) Cuius sententiae veritatem ostendit *Pauli* II p. 178 sqq., qui multas quoque affert litteras et imprimis agit de Cod. Hach I, 16; II, 2; R. St. I, 6, 1.

17) Stat. a. 1270 III, 3; 1292 E, III; 1497 J, VIII.

18) Stat. a. 1605 III, 3, 6.

19) Stat. a. 1605 III, 3, 4.

20) Stat. a. 1433 St. 22; art. addit. ad stat. a. 1303 cf. *Oelr.* p. 86; *Kündige Rolle* a. 1450 art. 39; a. 1489 art. 60. De muleta illa cf. *Dencken: Vorl. über ein. wicht. Ggst. des brem. St. R's. (Brem.* 1798) p. 30 not. * Postea (cf. *Kündige Rolle* a. 1756 art. 50,) eius mentio amplius facta non est; cf. etiam *Vorm. Ord. v.* 1826 §. 9.

1) R. St. II, 2, 2 & 3; id quod idem fuisse et iure veteri (cf. Cod. Hach I, 13 & 14; II, 3 & 4; III, 4 & 5) apparet ex documentis, quorum verba dat *Pauli* II p. 124.

— compluribus cum liberis aequaliter bona dividit. [2]) Cuius quidem dividendi rationis originem atque historiam nostri temporis sagacissimus hamburgensium antiquitatum perscrutator [3]) hanc fuisse exsistimat. Principio et usque ad statutorum tempora superstitem cum liberis semper aequis partibus bona dividisse. [4]) Postea idem in patre superstite valuisse, „*wente he dat gud erworven heft,*“ [5]) matre autem superstite eam placuisse distinctionem, ut complures si superessent liberi, his ipsis duae partes tribuerentur, [6]) Id quod paullatim in marito superstite itidem placuisse atque sancitum esse putat, nisi quod liberorum numero contrarius tribueretur effectus, ut si unus esset filius, maritus duas acciperet partes. [7])

Iure bremensi, quum nil ea de quaestione caveant statuta, ex liberorum superstitisque numero partes constituendae sunt, ut est proverbium: „*so vele Mund so vele Pund.*“ [8]) Atque haetenus nihil interest, utrum pater an mater praemoriatur.

§. 57.

In ipsa bonorum divisione facienda, quae plerumque propinquorum adhibito consilio, si non debuit fieri, [1]) certe solebat, [2]) altera ex parte superstes parens bona quaedam, neque si ius lubecense exceperis pauca praecipit, [3]) quae? tamen vix [4]) ei erunt concedenda, quoties quasi in poenam bona dividere cogatur. [5]) Ex altera vero parte liberi, qui iam pridem fuerint „*ausgeradet,*“ i. e. qui plena divisione non

[2]) Stat. a. 1270 III, 12b; 1605 III, 3, 4 & 6; 1270 VI, 7; 1292 E, XVI; 1497 J, XVIII.

[3]) *Trummer E. R.* §. 182 sqq; cf. *Lappenberg* l. c. p. XCVI sq.; omittit hanc quaestionem *Cropp* II p. 571 sq; cf. etiam *Gries Comm.* II p. 273 & 283; contra quem cf. *Trummer* l. c. §. 186.

[4]) *Trummer* l. c. §. 184 (p. 393 i. f.); modus enim ille aequis ex partibus dividendi, non solum ex ea bonorum conditione sequitur, quam *Trummer* inter coniuges statuit.

[5]) *Trummer* l. c. §. 185.

[6]) Quam praecepti illius formam defendit stat. a. 1270 VI, 7.

[7]) cf. stat. a. 1270 III, 12b; 1292 E, XVI; 1497 J, XVIII & XIX; 1605 III, 3, 4 & 6.

[8]) Scriptores ea de quaestione agentes affert *Berck* n. 367 cf. etiam *Deneken* l. c. p. 18.

[1]) Stat. lub: Cod. Hach II, 191 (etiamsi maiores erant liberi). Stat. hamb: a. 1270 IV, 7; 1292 F, VII; 1497 J, XXIV; 1605 III, 3, 4. Stat. brem: a. 1303 St. B. III; 1428 II, 7 & 8; 1433 St. 7.

[2]) *Pauli* II p. 169; *Donandt* l. c. II p. 140 sqq.

[3]) Stat. lub: Cod. Hach I, 13 & 14; II, 3 & 4; (cf. n. 6 & 11 ad has leges); R. St. II, 2, 2 & 3. Stat. hamb: 1605 III, 3, 4 & 6. Stat. brem: a. 1303 St. 27; 1428 II, 22; 1433 St. 23 de bonis agunt a patre, stat. a. 1303 St. B. III etc. de bonis a matre praecipiendis, quorum bonorum pretii tertiam partem ut liberis compenset mater, moribus introductum est; cf. *Berck* n. 444 a.

[4]) cf. enim leges iuris lubecensis veteris praec. not. citt. cum variis earum lectionibus.

[5]) cf. *Berck* p. 344.

interveniente, bona quaedam a parentibus acceperint, veluti ad separatam condendam oeconomiam, si in bonis dividendis participare velint una cum liberis indotatis, conferendum est quidquid dotis nomine acceperant. [6]) Liberi autem, cum quibus singulis iam plene diviserit parens superstes, vel si conferre voluerint, ad generalem divisionem non admittantur. [7])

§. 58.

Materiae iam ipsi, quam in hac dissertationis parte tractare nobis propositum est, propius accedentes paucis inquiramus, quaenam antiquitus quoad defuncti debita fuerit heredis conditio his ipsis in civitatibus, ubi quamvis ignota fuerit illa personae inter defunctum et heredem unitas, moribus germanicis omnino aliena, [1]) tamen nec illam iuris patrii antiquissimi regulam, morte debitoris plerumque debita exstingui [2]) per statuta invenimus sancitam, quippe quae multis in locis de debitis defunctorum solvendis agant. [3]) Quemadmodum autem creditores nec heredis personam aggredi, ita nec ex bonis eius propriis solutionem impetrare potuerunt; ex ipsa eaque sola hereditate debita erant solvenda, neque vero — id quod tot aliis in locis valebat, [4]) — ex mobilibus tantummodo bonis, sed et ex immobilibus [5]), si non ad creditoris libitum, certe illis non sufficientibus; [6]) quod an semper valuerit, [7]) in ambiguo est, iam dudum autem obtinuisse constat. Ne vero creditores per heredum frau-

[6]) *Pauli* II p. 164; *Trummer E. R.* §. 245; *Berck* n. 380—380 [b].

[7]) Quamvis non inter omnes constet: e. g. *Berck* p. 347 hanc ipsam sequitur sententiam; *Donandt* l. c. II p. 200 dubiam relinquit hanc quaestionem; *Post ueber d. allg. Guetergemeinschaft* — — *nach bremischen Stadtgesetzen. Brem.* 1802. p. 42 sq. diversam defendit sententiam; cf. etiam quoad ius hamburgense *Baumeister* §. 86 Nr. IV; eandemque fortasse et ius lubecense secuta est sententiam; quum si per collationem liberi isti ad futuram divisionem admitti deberent, expressim hoc ius iis reservari soleret, cf. documenta quae affert *Pauli* II n. 117, qui quidem ipse aliter p. 164 ea interpretari videtur.

[1]) *Pauli* III p. 145 i. f; II p. 98; *Stein Abh.* II §. 149; *Baumeister* §. 124 Nr. I; *Gries Comm.* II p. 109 sq; *Berck* p. 432.

[2]) Cuius regulae vestigia quaedam *Baumeister* (l. c. n. 3—5) in stat. hamb. a. 1270 IV, 3; IX, 21; I, 6 & 14; 1292 F, III; M, XVII; C, II & X; 1497 K, XII; L, XI; G, II; H, IX cognoscere vult.

[3]) Lub: e. g. Cod. Hach II, 3 not. fin; 4 not. fin; 16 (Cod. III, 158). Hamb: stat. a. 1270 I, 19; VI, 32; VII, 8; 1292 H, XIX; F, X; H, VI; 1497 E, XXIII; J, XV; L, III; 1270 *Anh.* 6. Brem: stat. a. 1303 O. 98 & 124; 1428 I, 28; II, 23; 1433 O. 58 & St. 21; 1303 Cod. II O. 127; 1433 O. 80.

[4]) cf. *Pauli* III not. 307 p. 146; *Berck* p. 431 sq; *Ssp.* I, 6, 2; *Schwsp.* 261 §. 1; 297 §. 4.

[5]) Lub: *Pauli* III p. 147, ubi complures litteras veteres huc pertinentes invenimus allatas. Hamb: *Trummer Vortr.* II p. 317, Brem: cf. stat. not. 3 cit; *Berck* p. 432; *Donandt* II p. 128 n. 40. Utrum ex bonis, quae vocantur „*Heergewette*" & „*Niftelgerade*," omnino debita et quatenus solvenda fuerint cf. *Berck* n. 492 sq. & 487 sq.

[6]) cf. e. g. stat. brem. a. 1303 O. 42; 1428 II, 34; 1433 O. 87.

[7]) cf. *Pauli* III p. 147; *Baumeister* l. c. Nr. II princ.

dationes defuncti bonis privarentur, non solum debita ante hereditatis divisionem exsolvi solebant,[8]) quam consuetudinem Hamburgi et legibus sancitam esse videmus,[9]) sed regula quoque veteris iuris germanici[10]) etiam in his civitatibus invaluit, ut qui hereditati sese immiscuerit *(„dat erve upboret“)*[11]) vel ultra eius vires creditoribus teneretur.[12]) Quod praeceptum, etsi generaliter nusquam in statutis constitutum est, Bremae[13]) Lubecaeque obtinuisse iam colligere possumus ex consuetudine ibidem notissima (de qua cf. infra §. 73 sqq.), ex qua vidua, ut bona reservata et quidquid postea acquireret, a creditoribus mariti liberaret, solenniter ita hereditate[14]) sese abstinere debuit, ut cuique palam esset, nullo modo eam hereditati sese immiscuisse. Ex statutis autem hamburgensibus huc referenda est lex,[15]) qua praescribitur, ut et vidua et liberi, adhuc in parentis domo degentes (quippe quorum aeque ac viduae in manibus iam per se esse solet patris hereditas)[16]) creditoribus mariti patrisve tenerentur, nisi probarent se ex ipsius hereditate nil accepisse vel retinuisse *(„beholden“ — „empfangen“ — „geerret.“)*[17]) De reliquis heredibus nil quidem constituunt leges nostrae

[8]) cf. e. g. decisiones huc spectantes, quas affert *Berck* n. 491ᵃ & 494.

[9]) Stat. a. 1270 III, 10 not. c & 15; 1292 E, XVIII & XIV; 1497 J, XIX & XVI.

[10]) cf. *Pauli* II n. 282; *Berck* p. 92. sqq.

[11]) cf. e. g. stat. hamb. a. 1270 VI, 25; 1292 G, XXI; 1497 C, XIV; 1292 E, XXI; F, IX; 1497 J, XX & VI; 1292 E, XIX; cf. etiam stat. brem. a. 1433 St. 12.

[12]) *Pauli* II p. 230; *Trummer E. R.* §. 35; *Baumeister* l. c. Nr. II; *Berck* p. 433.

[13]) cf. autem praeterea *Oelrichs* p. 166 Nr. 8 *(Schede v.* 1330).

[14]) Non enim hoc loco nos tangit, quod propria quoque bona in matrimonium illata relinquere debeat, quippe quod ex ipsius tamquam uxoris profluit obligatione mariti debita ex bonis solvendi, quae eius fidei commisit.

[15]) Stat. a. 1270 VI, 32; 1292 F, X; 1497 J, XV.

[16]) De vidua, quamvis de binuba tantummodo speciatim agant statuta modo dicta, nulla est dubitatio. Maxime autem controversa sunt, quae iisdem in legibus statutorum a. 1292 & 1497 sequuntur verba: *„Also scal it ok wesen umme knapen unde meghede de dat tughen mogen, dat en van eren elderen nen goet ervet is“;* quorum in loco statuta a. 1270 haec loquuntur: *„Dhes gelik eyner juncfrowen.“* Quae antiquissimorum statutorum verba recentioris esse originis, posteaque in nonnullos irrepsisse codices cum Trummerio *(E. R.* §. 40 sq. et *Vortr.* II p. 312 sq.) exsistimaverim. At vero in eo neminem huic scriptori assensurum esse crediderim, quod *(Vortr.* II §. 92 & *E. R.* §. 41 n. 2) de famulis verba illa: *„knapen und meghede“* putet esse intelligenda. Obstat enim eiusmodi interpretationi totius legis contextus, neque sufficit, quod alias (cf. stat. a. 1270 VIII, 1. 3. 4) verborum *„knapen und meghede“* illa sit significatio. Quin nec ipse sibi constans est auctor, cum alio loco *(Erbr.* §. 33) ea verba ad omnes referre velit homines caelibes. Eandem quam supra diximus interpretationem *Gries* quoque *(Comm.* II p. 125) itemque *Baumeister* l. c. comprobare videtur.

[17]) Quae verba urgenda esse non videntur, cf. *Trummer E. R.* §. 41, n. 3; aliter iudicat idem *Vortr.* II, p. 313.

neque vero quin idem in omnibus valuerit dubitare possumus, licet probationis onus ipsis imponendum non fuisse accipiendum sit, sed a creditoribus immixtio potius probanda esse videatur. [18])

Quae omnes quas hucusque respeximus regulae, etiam statutorum recentiorum tempore eaedem valebant, [19]) neque iam eo ipso sublatae sunt, quod paullatim iuris romani doctrinae, uti alias ita apud nos praevalente, etiam in his civitatibus inventarium ab heredibus conficiendum erat; id quod consuetudine iamiam introductum Hamburgi comprobaverunt statuta recentiora. [20]) Ex iure enim romano heres, qui omnia defuncti debita, quasi propria essent, solvere tenetur, per inventarium conficiendum ab hac obligatione liberatur, ex patrio autem vel sine inventario obligatus omnino non erat ultra hereditatis vires, atque per inventarii confectionem hanc sibi tantummodo conservabat libertatem. Quare per inventarium conficiendum onus quidem heredi impositum esse videtur, quod tamen libenter subiisse putandus est, quum alioquin hereditatem pure aut adire aut recusare deberet. [21])

Ceteroquin praeter illud generale praeceptum de debitis non ultra hereditatis vires solvendis singularia quaedam erant hisce in civitatibus, quibus ius creditorum angustioribus etiam finibus circumscriptum videas. Iam enim, qui a debitore moribundo ad rationes reddendas debitaque solvenda convocati non venerint creditores, neque iustam excusandi causam afferre potuerint, [22]) Hamburgi atque Bremae omni adversus debitoris heredes exinde carebant actione. [23]) Cuius praecepti in loco vetera statuta lubecensia [24]) constituunt (a. 1424.), ut qui creditores cum debitore per totum annum ante eius mortem („*iar unde dach — er he starff*") in eodem degissent oppido, neque tamen solutionem ab ipso quaesiissent, nisi iustam haberent excusationis causam, adversus heredes agere non amplius possent. Imprimis autem huc re-

[18]) *Baumeister* l. c.

[19]) cf. *Stein Abh.* II §. 43, 149 sqq; *Baumeister* l. c. Nr. II, ubi et singulas quasdam levesque immutationes statutorum recentiorum dinumerat.

[20]) Stat. a. 1605 III, 7, 2—6 (cf. etiam *N. F. O.* art. 38—45); qua de omni quaestione cf. *Baumeister* §. 125; *Trummer Erbr.* §. 34 sqq; *Misler:* diss. de benef. inv. hamb. (Gotting. 1790).

[21]) cf. *Pauli* III p. 149 sq; *Gries Comm.* II p. 134; *Cropp* II p. 574 n. 250; *Trummer Erbr.* §. 38; *Baumeister* §. 125 Nr. II.

[22]) „*It ne were dat de man seek were ofte nicht gan ne mochte, ofte nicht to hus were, unde mach he desser stucke jenich tugen, he blift is ane schaden.*" cf. leges not. 23 citt.

[23]) Stat. hamburgensia a. 1270 VI, 7; VII, 19; 1292 E, XVI; II, XVII; 1497 J, XVIII; E, XXII; quod praeceptum in stat. a. 1605 omissum, in bremensia a. 1303 O. 82; 1428 III, 11; 1433 O. 72, itemque in statuta recentiora lubecensia III, 1, 6 translatum est.

[24]) Cod. Hach IV, 2. Quo de praecepto (statutis a. 1586 ignoto) cf. *Pauli* III p. 151 sq. Quae sit coniunctio huius legis hamburgensiumque statutorum a. 1270 *Anh.* 6, cf. *Baumeister* §. 124 not. 16.

feram, quod antiquitus difficilior erat probatio, quae de defuncti debitis, quam quae in vivum suscipienda erat *(„Beweis nach todter Hand.")* [25]) Tunc enim adhiberi debuerunt *„twee radmanen"* aut, si debita X marcarum pretium non excederent, *„twee unberuygheghede man, — de so beseten sint, dat er iewelic hebbe erves binnen der stat, dat tein mark sulvers wert si," („gude lude de beseten sint mit vryeme erve.")* [26]) At vero omnia ista impedimenta in recentioribus statutis sublata sunt. [27])

Tit. II.

De mariti debitis.

§. 59.

De mariti vel defuncti vel superstitis debitis solvendis nunc acturi, non omnium harum civitatum iura quasi comprehendere et simul tractare possumus. Summa enim et quae cum prius loco tum diligentius tractetur, haec erit quaestio, an et quatenus mariti creditores post ipsius vel coniugis mortem ex illatis petere possint solutionem. Neque vero in ea civitates nostrae inter se plane eodem, neque singulae eo quo olim etiam nunc utuntur iure, quare ex singulis statutis singulatim de ea agamus. Quae vero cum generaliter de mariti universis debitis, tum de viduae abdicandi iure erunt dicenda, nec non quam supra (§. 22) huc remisimus quaestionem de iuribus, quae durante matrimonio mariti creditoribus competant in bona uxoris, principali illi quaestioni adnectenda et inserenda curabimus.

I.

De illatis pro debitis maritalibus ex iure lubecensi obnoxiis.

§. 60.

Statuta recentiora hac ratione si liberi superstites non sunt, praescribunt: [1]) *„Begiebt ein Mann sich mit einer Frauen in die Ehe, stirbt der Mann und lässt keine Kinder von ihr oder dass sie schwanger sei, die Schuld damit er iemand verhaftet kann die Wittfrau nichts hindern, sie soll alles wiedernehmen, was sie zu ihrem Manne gebracht hat, darnach soll man von seinem Gut alle seine Schuld bezahlen, die er bei seinem Leben und in stehender Ehe gemacht. Bleibt etwas uebrig*

25) *„Na doder hant, dat is uppe gud dat de dode schuldich is;"* stat. hamb. a. 1270 I, 19.

26) Stat. hamb. a. 1270 I, 19; 1292 II, XIX; 1497 E, XXIII, quibus ex legibus fortasse Cod. Hach II, 224 originem cepit. Quae praecepta quomodo paullatim immutata sint, cf. *Pauli* II p. 100 sqq: III p. 150 sq: *Baumeister* l. c. Nr. III; *Trummer Erbr.* §. 20—26; *Vortr.* II p. 24—31.

27) Stat. lub. a. 1586 V, 7, 18 (cf. *Pauli* III p. 152). Stat. hamb. a. 1605 I, 34, 11 (cf. scriptores not. 26 citt.)

1) R. St. I, 5, 5.

wird getheilt nach der Stadt Rechte;" — atque si liberi superstites sunt: [2]) *„Also auch wenn Mann und Weib in die Ehe treten, — zeugen sie dann auch Kinder mit einander und ihr Gut ist zusammen ungeschieden, stirbt alsdann eins von den Eheleuten, es wäre der Mann oder die Frau, die Schuld soll man zahlen von dem gemeinen Gute."*

Idemque altera eorundem statutorum lex, de qua postea etiam agendum erit, cavet: [3]) „— — *Ist dar auch Schuld vorhanden, die soll man vom gemeinen Gute zuvor bezahlen.*"

Vidua igitur orba mariti creditoribus non tenetur, — sin vero superstites sunt liberi, tenetur, id quod discrepat a communi iure germanico, ex quo vidua semper teneri dicenda erit. [4]) Nulla enim, nisi aliud speciatim legibus cautum sit, est ratio, cur regula: *„die dem Manne traut, traut der Schuld"* tollatur creditorumque iura diminuantur ex liberorum superstitum defectu. Videamus igitur, utrum semper idem valuerit Lubecae; sin minus, quaenam rationes istam iuris immutationem adduxerint.

§. 61.

Iure veteri constitutum invenimus, ut uxor non orba creditoribus teneatur mariti, qui ob aes alienum in fuga sit: [1]) qua ex lege, quum solam exceptionem statuere possit, colligere certe non licebit, omnino uxorem non orbam mariti debita solvere debuisse; in quibus vero reliquis de aere alieno coniugum dicendum fuisset legibus, [2]) nil nisi levia de hac re nobis afferuntur argumenta. 1) Verba enim: *„alsodanig gud als darbliwet* [3]) *dat schal man schichten"* — an forte dicamus, ea bona designare, quae deducto aere alieno reliqua sint? 2) Duobus in locis codicis Uffenbachiani [4]) praecipitur, ut in dividendis universis bonis pater materve bona quaedam praecipiant et tunc demum dividatur: *„Schuld und Unschuld."* Aes igitur alienum a marito conflatum solvendum possit videri ex bonis communibus. Neque contra hanc sententiam multum tribuerim legi, [5]) qua cavetur, ut debita solvantur deductis bonis ab uxore in matrimonium illatis; praesertim cum utraque in eodem codice occurrat sanctio, atque quae nobis dubia movet, de coniuge agat binubo, cuius in debitis diiudicandis aequitatem saepenumero strictum ius superasse obliviscendum non est. [6]) At vero illam ipsam, cui plus auctoritatis vindicare malim, omnino necesse non est, ut ad debita sive matrimonialia sive antematrimonialia referamus; quia id unum inde colligere licet: fieri potuisse, ut debita quaedam ex bonis communibus sol-

[2]) R. St. II, 2, 26.

[3]) R. St. II, 2, 28.

[4]) cf. *Gerber deutsch. Pr. R.* §. 231 n. 13; §. 232 not. 1.

[1]) Cod. Hach II, 11; III, 153.

[2]) Cod. Hach I, 7; II, 19; III, 125; I, 13 & 14; II, 3 & 4; III, 4 & 5.

[3]) cf. Cod. Hach III, 125.

[4]) Cod. Hach II, 3 n. 6 & II, 4 n. 11.

[5]) Cod. Hach II, 15 n. 9.

[6]) cf. *Pauli* II p. 187 sqq.

vantur, quae in bonis dividendis aeque ad divisionem veniant. Quare istis verbis ea debita aeque possunt designari, quae durante compossessione valide in bona communia sunt facta.

§. 62.

Sed uxoris bona creditoribus mariti obligata esse tam generalis illis temporibus iuris germanici erat regula, ut iam eiusmodi discrepantiam, si quae re vera in iure lubecensi valuisset, silentio potuisse praeteriri vix esset credendum, atque omnis certe evanescet de vetere iure dubitatio, si vel orbam viduam omnia mariti debita sine contradictione qualibet exsolvere debuisse apparuerit, cui meliorem atque liberiorem conditionem ex iure lubecensi fuisse eo minus credendum est, quum supra iam, ubi de bonis dividendis erat agendum, viderimus, quanti momenti fuerint liberi superstites in arctius coniungendis coniugum patrimoniis.

Quod autem vidua orba antiquitus hac quoque in civitate mariti creditoribus obligata fuerit, evidentissime probatum est. [1]) Ut enim taceam de creditoribus, qui iam per mariti pignorationes iura quaedam in bonis uxoriis quaesiverint (§. 30 i. f.), — tunc enim quin bona illa obligata fuerint, nemo dubitabit! — statutorum veterum legi [2]) cuidam haud levis momenti, qua omnimodo uxor ad solvenda ea, quae maritus promiserit *(„lovete")*, obligatur, in nonnullis codicibus nominatim additum videmus: *„se si beervet edder nicht."* [3]) Neque contra hanc generalem sanctionem quidquam valere posse palam est, quod uxorem orbam, non nisi speciatim promiserit *(„mede lovete")*, ob mariti fugitivi debita teneri legamus. [4]) Itemque quod ab uxore orba debita antematrimonialia mariti paullo post matrimonium initum defuncti haud solvenda esse dicantur, [5]) id nil nisi exceptio esse potest, regulamque, ex qua uxores creditoribus tenentur, confirmat, cum plane stulte esset praeceptum, si vel ob matrimonialia debita uxor non teneretur. Quare dicemus: iure lubecensi antiquitus, sicuti fere omni in Germania, uxorem in utroque casu creditoribus mariti omnimodo fuisse obligatam, paullatim vero exceptiones illas esse statutas, quibus (liberis certe non superstitibus) quodammodo compensarentur iura, quae in dies aucta durante matrimonio in bonis uxoris marito competebant. Quam sententiam non solum inde confirmari putaverim, quod leges, quibus exceptiones illae statuantur, in codicibus latino sermone confectis non inveniantur, ubi generalis illa tantummodo regula pronuntiatur; sed et liber ipse civitatis eam adiuvat. [6]) Mox exceptiones illae in regulam commutatae esse videntur,

[1]) *Pauli* II p. 96 sqq.
[2]) Cod. Hach I, 21; II, 96.
[3]) cf. Cod. Hach II, 96 n. 11.
[4]) Cod. Hach II, 11; III, 153.
[5]) Cod. Hach II, 16; III, 158.
[6]) cf. *Pauli* II p. 103 sqq, qui etiam quomodo removenda sint documenta reliquis oppugnantia docet.

id quod decisio quaedam iudicialis anni 1482, [7] nec non praeceptum, quod primum de consuetudine illa postea fusius commemoranda: *„bergen und dachding auftragen"* agit, quippe quod de vidua tantummodo non orba loquitur, [8] evidentissime testantur.

§. 63.

Quam meliorem uxorum conditionem ut legali sanctione munirent, eorum erat virorum, quibus statuta reformanda erant commissa. Iam vero hac quoque in re nimis et minus provide ad ius romanum respicientes alienae doctrinae praeceptum in patria statuta transtulerunt. Non enim consuetudinem illam legibus quoque comprobaturi simpliciter dixerunt viduam orbam non teneri creditoribus mariti; sed, ne hoc praeceptum veteribus statutis alienissimum ratione careret, ad privilegia dotis recurrerunt. Dos autem romana patrio iuri nota non erat, quare, quum alia in eius loco ponenda essent bona, privilegia illa dotalia uxori non solum in omnibus bonis, quae in matrimonium intulerit, sed et in iis concessa sunt, quae illatis postea quasi augmentum accesserint. [1] In dote autem uxori a marito allata, quamvis alioquin, (ut supra §. 4 diximus,) bonis illatis par haberetur, privilegia illa non valuerunt. [2] Itaque imprimis quidem immutantes legem illam veterem, quae erat de mariti debitis antematrimonialibus, [3] viduam orbam nunquam ullo modo creditoribus mariti teneri sanxerunt; [4] altera autem lege de eadem uxoris conditione ita egerunt, ut concursu creditorum facto vidua orba bona in matrimonium illata, si adhuc sint in rerum natura, vindicet, [5] in bonis autem non exstantibus privilegiis dotis fruatur. [6]

Neque verba tantum iuris romani in statuta nostra translata, sed ad eius normam ipsa quoque uxoris iura arctius circumscripta sunt. Quum enim, ubi vidua orba non tenetur mariti creditoribus, his omnibus praeponenda fuisset, primus inter creditores locus quasi ex benificio legis uxori ademtus est, complurium creditorum nomina praeponendo, ob

[7] *Michelsen Oberhof* Nr. 139.

[8] Cod. Hach IV, 61; *Pauli* II p. 107 sq.

[1] *Zerran* l. c. XV: „et uxori vice versa respectu omnium illatorum privilegia dotis competunt, arg. art. 12 tit. 1 lib. III, ubi sine dubio sub voce *„Brautschatz"* omnia ab uxore illata comprehenduntur; cf. art. 9 eod. & art. 5 tit. 6 lib. I —. *Mevius* quoque ipse ad II, 2, 12. Nr. 54 ita commentatur: „— ex iure nostro et magis ex usu vulgari observari licet, hodie omnia uxoris bona ad maritum illata — — nisi pactis certo modo limitata sint plane confundi, et perinde haberi ac si dotalia sint"; add. Mevium Comment. ad I, 5, 6 in addit."

[2] R. St. III, 1, 9. (Uxore praemortua in heredes non transit ista dos, cf. *Pauli* II p. 73.)

[3] Cod. Hach II, 16; III, 158.

[4] Nam stat. a. 1586 (I, 5, 5.) nec matrimonii paullo post nuptias soluti nec debitorum antematrimonialium faciunt mentionem.

[5] R. St. III, 1, 9.

[6] R. St. III, 1, 12.

quae concursu facto illata, quatenus in rerum natura non supersunt, ideoque uxor iure vindicandi uti non potest, teneri negandum non est. Statutis enim recentioribus constituitur: *„Ein Iahr Rente, ein Iahr Haüer, ein Iahr Dienstlohn und ein Iahr Kostgeld — — gehen vor allen Schuldnern auch den priviligirten zuvor aus. Also auch des Debitor Unkost zu den Begräbnissen doch nicht über* 40 *Mark.* [7]) *Diesem folgt gemeiner Stadt Schuld — — folgends der Brautschatz.*" [8])

§. 64.

Neque vero consentiunt, qui hac de quaestione egerunt, [1]) multique diversam secuti viam putant, antiquitus viduam nullo modo creditoribus mariti obligatam fuisse, nisi iam per mariti voluntatem iura quaedam in bonis uxoriis quaesivissent. Ad quam sententiam defendendam saepenumero praeceptis nituntur de vestitura *(Gewere)* traditis, — non diutius enim dicunt marito iura illa in bonis coniugis esse potuisse, quam quamdiu in manibus eius essent (cf. supra §. 6.), cuius regulae paullatim in uxore non orba mariti fugitivi exceptionem esse statutam, quae tractu temporum amplificata duxisset ad praecepta statutorum recentiorum. Ista vero huius rei explicatio neque per se probabilis esse videtur neque statutis convenire. [2])

Fuerunt [3]) etiam, qui ostendere studuerint, viduam orbam antiquitus creditoribus mariti obligatam fuisse propterea, quod maritus per matrimonium dominus bonorum illatorum factus esset; hac enim ratione, quum uxor tamquam mariti heres bona illa reciperet, aliter ea certe ad ipsam non posse transire, quam qualia tempore delationis fuerint, i. e. deducto aere alieno. Quae sententia una cum falsa illa de mariti dominio opinione (cf. supra §. 21) corruit.

II.

De viduae eiusque bonorum pro debitis mariti ex iure hamburgensi obligatione.

§. 65.

Uxoris bona soluto matrimonio mariti creditoribus teneri, in veteri huius urbis iure evidentissime planissimeque invenimus pronuntiatum his verbis: *„mer de schult schal men io tovoren gelden von deme menen*

[7]) R. St. III, 1, 11; cf. *Stein Abh.* III §. 50 & 60.

[8]) R. St. III, 1, 12.

[1]) cf. e. g. *Finsler* l. c. §. 9. *Eichhorn D. R. G.* II §. 370 not. nn; III §. 456 not. n; *Cropp Heidelberg. Jahrbücher v.* 1823 p. 121; *Hasse Zeitschr. f. gesch. R'swissensch.* tom. IV p. 106; *Berck* n. 182 sq.

[2]) Quam sententiam defendit *Behn* l. c. §. 8. Neque vero sufficere, quae dixerit ad tollenda argumenta contra sententiam suam ex Cod. Hach II, 16; III, 158 colligenda, ostendit *Pauli* II p. 103 not. 111.

[3]) Quorum in numero est *Kraut* l. c. II p. 524.

unde gantsen gude.“ Quibus quae bona designentur, si quis esse posset dissensus, omnino tollitur per verbum „*tovoren,*“ quod semper ad omnes spectat immutationes, quas bona subeunt in mariti manibus unita sive ex plenaria eorum divisione sive ex illatorum separatione atque restitutione. [1])

Hoc ius creditoribus tum competere, si liberi superstites sunt, complures leges [2]) eaeque clarissimae [3]) confirmant, quae de bonis dividendis agunt. Neque nimis miremur, quod cum unum casum respiciant, quo liberi ex compluribus nuptiis procreati concurrant; uxoris enim maritalium debitorum solvendorum officium tam notum fuisse putaverim, ut quidquam ea de re praecipere, posset videri supervacaneum, [4]) nisi quoties compluribus ex nuptiis concurrerent liberi, debitaque in priori matrimonio inita binubi coniugis essent quasi antematrimonialia. Liberis vero aut non natis aut praemortuis idem uxoris officium fuisse, non solum ex iis statutis apparet, quorum tempore bona coniugum in originarias iam non redirent partes; [5]) sed et ex quo uxor bona illata recipere solebat, ante divisionem debita ex uxoris bonis erant exsolvenda. [6]) Neque quod statutorum antiquissimorum codices, qui iam bona coniugum vel post mortem coniuncta esse volunt, [7]) de aere alieno mariti inde exsolvendo non agant, nos adducet ut credamus, illis temporibus bona uxoris orbae obligata non fuisse. Nam quum vel quamdiu separanda erant bona coniugum, illa viduae obligatio viguerit, eo magis idem ipsius officium iam per se accipiendum erit, ubi bona coniuncta manent. Statuta recentiora, quod ad matrimonium liberis non superstitibus solutum attinet, idem eodemque fere modo praecipiunt: [8]) „*Stirbt einem Manne seine Ehefrau — unbeerbet — sollen anfänglich alle Schulden gerechnet und von dem gesammten Gute abgezogen werden. — Scheidet auch — — der Mann und verlässt keine Kinder, so sie miteinander gezeuget — — die Schulden werden gleichergestalt von dem vollen gemeinen Gute bezahlt.*“ Quod similiter valuisse, quoties liberi superstites fuerint, ex le-

[1]) cf. stat. a. 1270 III, 10 not. c. Var. C & D.

[2]) cf. stat. a. 1270 III, 5; 1292 E, V; 1497 J, XI; de verbis „*twieerhande kindere*“ cf. stat. Stadensia II, 5. (*Trummer Erbr.* §. 18.) Exceptio, quam verba finalia (cf. etiam stat. lub. a. 1586 II, 2, 26) statuunt: „*Mer de brutlacht unde de bruteledere ne dorven de ersten kindere nicht gelden*“ (de quibus cf. *Trummer* l. c.; Glossam Langenbeckianam ad h. art; *Gries Comm.* II p. 113) iusta vix habenda esse videtur; stat. a. 1270 III, 17; 1292 E, XV; 1497 J, XVII; cf. *Trummer* l. c. §. 238.

[3]) Bona enim uxoris obligata esse mariti creditoribus intelligi quoque potest ex stat. a. 1270 VI, 32; 1292 F, X; 1497 J, XV; (cf. 1605 II, 11, 16); neque vero quibus creditoribus obligata sint ex iis patet.

[4]) Stat. a. 1270 III, 3; 1292 E, III; 1497 J, VIII.

[5]) Stat. a. 1292 E, XVIII; 1497 J, XIX.

[6]) Stat. a. 1270 III, 10 not. c. Var. C & D.

[7]) Stat. a. 1270 III, 10 exceptis codicibus not. 6 citt.

[8]) Stat. a. 1605 III, 3, 8.

gibus quidem quae de coniugalium bonorum divisione agunt [9]) non patet, sed vel nulla data legis sanctione dubitare non possemus quin valuerit; insuper autem et specialiter cavetur, ut bona uxoris pro debitis mariti „*so in stehender Ehe gemacht*“ teneantur, [10]) et quae de conditione uxori in creditorum maritalium concursu tribuenda agit lex, [11]) non solum non distinguit, utrum vivo marito an post eius obitum concursus factus sit, sed etiam per verba: „*was ihr nach ihres Mannes Tode anstirbt*“ specialiter huc respicit.

§. 66.

Verba autem supra dicta: „*so in stehender Ehe gemacht*“ hanc provocant quaestionem, quid dicendum sit de debitis antematrimonialibus mariti? [1]) Quae, si omnes ea de re tacerent leges, aliter ac reliqua mariti debita diiudicare non possemus. Nam quum durante matrimonio marito plenissima potestas competat ex bonis uxoris debita sua solvendi, facillime posset uxor circumveniri, si ad debita antematrimonialia, solvenda maritus aut bonis uxoriis uteretur aut nova iniret quae iam matrimonialia essent; [2]) atque omnino eiusmodi distinctio maiorum moribus abhorret, qui generaliter dixerunt: „*die dem Manne traut, traut der Schuld.*“ Quare opinio, si quo praevaluerit, durius aliquando esse uxorem semper mariti creditoribus antematrimonialibus teneri, eo demum adducere debuit, ut, ubi durum esse videretur, uxori, sicuti Lubecae (cf. e. g. supra §. 62.) factum est, per specialem legem subveniretur. In legibus igitur hamburgensibus an et quatenus distinctio ista inter matrimonialia mariti et antematrimonialia debita sancita sit, diligentius inquiramus.

Statuta quidem vetera [3]) semper de debitis generaliter agunt. Itemque de uxore orba, cuius in omni Germania reliquis liberiorem vi-

[9]) Stat. a. 1605 III, 3, 4 & 6.

[10]) Stat. a. 1605 II, 11, 13.

[11]) Stat. a. 1605 II, 5, 10.

[1]) Qua de quaestione cf. *Klefeker* l. c. IV §. 79—84; *Gries Comm.* II p. 48, qui, quum ex eo, quod mulier his creditoribus non teneatur, argumentum ducere velit, quo suam de bonorum coniugalium conditione sententiam defendat, eamque de communione bonorum repellat, dupliciter ni fallor errat. Nam liberior illa quoad debita antematrimonialia mulieris conditio posset esse exceptio, etsi bonorum statueretur vera inter coniuges communio, nec congrua mihi videtur illis ipsis iuribus, quae auctor coniugibus in bonis unitis tribuenda censet.

[2]) Quam difficultatem commentatores nequaquam neglexerunt, cum *v. d. Fecht* ad art. II. 5, 10 distinguendum esse dicat, utrum maritus tempore matrimonii initi solvendo fuerit, nec ne; atque illo tantummodo casu uxoris illata pro iis teneri debitis, quae in fraudem legis ad solvenda debita antematrimonialia durante matrimonio contraxerit maritus. Quae tamen decisio et ad vitae usum conferri vix poterit verbisque ipsis: „*so in stehender Ehe gemacht*“ oppugnat, atque ex lege stat. a. 1605 II, 5, 11 perverse adhibita pendere videtur.

[3]) cf. leges supra §. 65 citt.

demus conditionem, statuta recentiora cavent, ut uxore praemortua omnia, superstite ea pariter *(„gleichergestalt")* ex bonis unitis debita solvantur. [4]) Quaerendum igitur est, an forte leges inveniantur aliae, quibus sanciatur uxorem hamburgensem mariti creditoribus antematrimonialibus non teneri?

§. 67.

Ad quam quaestionem affirmandam duae prolatae sunt rationes, quarum altera posita est in ipsis legis huc pertinentis verbis: [1]) *„Schulden so in stehender Ehe gemacht."* Commodissime quidem his verbis tamquam per errorem nimis angustis nulla tribueretur auctoritas, nisi iterum eadem occurrerent verba alia in lege, [2]) ubi de ipsis coniugum debitis agitur, quomodo sese habeant soluto matrimonio. Iisdemque utitur authentica quae huius legis exstat interpretatio, [3]) nec non ratio cuius ipsa lex facit mentionem: *„zu Handhabung gemeinen Nutzens Trauens und Glaubens und zur Beförderung der Handthierung etc."* imprimis valet de debitis matrimonialibus. Altera vero ex parte concedendum erit immutationem iuris antiqui tam gravem, si quae facta esset, multo clarius commemorandam fuisse, magisque mihi quidem videtur, illis verbis terminum tantummodo debuisse statui, ultra quem uxoris bona non tenerentur mariti creditoribus. Atque tamen distinctionem illam aliquando valuisse, nemo est qui neget. [1])

§. 68.

Sed et ex altero quodam recentiorum statutorum praecepto argumentum saepe deducitur, uxorem hamburgensem matrimonialibus tantummodo mariti creditoribus teneri. Legimus enim: [1]) *„Da auch jemand binnen dieser Stadt ihm eine Wittwe oder Jungfrau vertrauen lasse, und bei der Verlöbniss sich seiner Güter höher, als dieselben werth sind, berühmete, oder aber auch keinen* [2]) *Brautschatz nahmkundig gemacht hätte, und er darnach dergestalt in Schulden vertieft gefunden würde, dass er nach Ablegung derselben nichts eigenes gehabt oder auch seinen berühmten Brautschatz nicht frei einbringen könnte, so sollen der Jung-*

[4]) Stat. a. 1605 III, 3, 8.

[1]) Stat. a. 1605 II, 5, 10; cf. de omni ea quaestione *Trummer E. R.* §. 45.

[2]) Stat. a. 1605 II, 11, 13.

[3]) cf. Recessus a. 1674 art. 67 (cf. *Trummer* l. c. i. f.)

[1]) cf. Comment. ad 1605 II, 5, 11 verb: *„so vorhin gemacht"*; ad 1605 II, 5, 10 verb: *„so in stehender Ehe gemacht."*

[1]) Stat. a. 1605 II, 5, 11, cuius legis prior tantummodo pars ex recessu a. 1529 art. 32 translata est; quare ad eum respicere non possumus in decidendis dubitationibus, de quibus cf. not. sq.

[2]) De lectione *„einen"* pro *„keinen"* cf. Comment. Langenbeckii ad haec verba, cuius procul dubio simplicissimus est difficultates removendi modus. Contra Croppium, qui II p. 496 verbum *„keinen"* defendere voluit, cf. *Trummer Erbr.* §. 44 n. 2.

frauen oder Wittwen Güter für die Schuld, so vorhin gemacht, sie haben in währender Ehe Kinder mit einander gezeugt oder nicht, keineswegs gehalten oder verpflichtet sein, und soll derselbige seiner Frauen Hauptstuhl, ohne der Freunde Willen, zu beschweren nicht mächtig sein."

Qua ex lege fieri potuisse quibusdam sub conditionibus intelligimus, ut uxor omnino mariti creditoribus non teneatur, sive matrimoniales sint sive antematrimoniales. Non enim verba: „*Schulden so vorhin gemacht*" ad sola debita referenda sunt, [3]) quae ante matrimonium, sed ad omnia, quae usque ad id tempus inita sunt; verbisque finalibus consulitur, ne bona uxoria postea a marito perdantur. Quare de debitis antematrimonialibus specialiter nil hoc loco cavetur. Sed etiamsi esset, nihil proficeret ad defendendam illam sententiam. Singularem enim, quae regulam non tollat sed confirmet, hic approbari putaverim exceptionem, quae eo aequior debuit videri, quo maiora damna atque incommoda mulieribus facile oriantur ex fraudatione et perfidia sponsorum, quorum res familiares ante matrimonium rarissime poterunt satis cognoscere et perspicere, nisi per odiosissimas et quae sponsas minime decent perscrutationes atque inquisitiones. Optime vero illa legis praecepta et viris perfidis spem auferunt ab aere alieno sese liberandi, et uxoribus consulunt, ne postea debita nova contrahendo maritus illata iis possit subtrahere.

Sed tamen postea ea praecepta immutata sunt. Ex recentiore enim quadam lege [4]) ius bona illata sibi recipiendi creditoribusque maritalibus denegandi uxori tum tantummodo competit, si intra quinque post initum matrimonium annos a mariti, qui iam tunc solvendo non fuerat, creditoribus fit concursus vel si, (id quod ex consuetudine valet)[5]) maritus bona quae promiserit inferre non potest.

Maximum autem momentum huic ipsi legi propterea tribuendum est, quod tandem nominatim aliquid de debitis mariti antematrimonialibus constituerit: „*der Unterschied zwischen Matrimonial- und Antematrimonialgläubigern wird hiermit gänzlich aufgehoben und die* articuli statutorum *die dieser neuen Verordnung entgegen sind vorstehendermassen geändert und erklärt;*" quae certe ultima verba quamvis statutis ipsis legibusque minus fortasse videri possint apta, tamen, quum ex consuetudine illa distinctio approbata fuerit, vix sunt reprehendenda. [6])

III.

De bonis uxoriis ex iure bremensi mariti creditoribus obnoxiis.

§. 69.

Etiam in statutis bremensibus leges quaedam reperiuntur, quae de viduae officio mariti debita solvendi loquantur: 1. „*Iewelic vruwe the*

[3]) Cf. Comment. ad haec verba supra §. 67 not. 4 cit.

[4]) *Neue Falliten Ordn.* v. 1754 art. 30.

[5]) cf. *Trummer E. R.* §. 46 i. f.; *Cropp* II p. 497.

[6]) cf. etiam *Trummer E. R.* p. 112.

mach wol betughen eres echten mannes schulde, the men eme schuldich was, tho he levede. Se mach oc wol betughen, wat to geghen eren echten man wilcoret ofte bekend is. Thes silven mach men se oc vortughen, wat ere echte man wilcoret ether lovet hevet." [1]) Qua ex lege videmus quidem, viduam mariti debita solvere debuisse, sed ista obligatio componitur atque aequiparatur cum facultate maritalia nomina exigendi, [2]) quae ex hereditario ipsius iure profluit. Quamvis enim uxor antiquitus non sola fuerit mariti heres, quum aut cum liberis successisse videatur, aut liberis non superstitibus immobilia hereditaria proximis cederent mariti cognatis (cf. supra §. 52.), tamen cum heres esset rerum mobilium, sola adversus mariti debitores agere, atque certe prima [3]) a creditoribus eius poterat conveniri, eademque eius tamquam legitimae administratricis bonorum communium (cf. supra §. 54.) erat conditio. Hinc igitur et officium illud uxoris mariti debita exsolvendi ortum esse videtur. Quare ista ex lege nostra de quaestione, scil. an integra atque intacta relinquantur propria uxoris bona, neque obnoxia sit vidua mariti creditoribus ultra hereditatis vires, vix quidquam colligere possumus. — 2. „*So wor twe thosamene komet an echtschep, wot dhe hebbet, dhat is herer beydhe na stadesrechte, storve er en, dhe ander scal sine sculde gelden, dhes he bekent, dher men vullenkomen mach, dha ne si ander underscehd, unde dhes men vullenkomen mach mit hantfestinghe idher mit tughen.*" [4]) De iure quidem hereditario coniugum nominatim hoc loco non agitur, atque tamen idem prorsus de utroque coniuge valet. Quare quum infra videbimus maritum debita uxoris — nisi simul sua fuerint (cf. §. 42.) — solvere non debere, nisi quatenus heres eius factus sit, [5]) idem posset esse in uxore superstite; itaque vel hac ex lege nihil certi deduci posse quis putet, utrum illud uxoris officium hereditarii iuris fines non excedat, an alia quoque ex causa vidua teneatur. Atvero huius sententiae argumentum aliquod praebere possunt [6]) verba: „*dhar ne si ander underschecd,*" i. e. „nisi aliud pactum sit." [7]) Quum enim de debitis a legitimo herede non solvendis, per pacta non potuerit conveniri neque maritus alia ex causa ad debita uxoris solvenda obligatus sit, quam

[1]) Stat. a. 1303 O. 13; 1428 III, 33; 1433 O. 43.

[2]) cf. legg. citt. verb. „*thes silven*" = pari modo.

[3]) Licet reliquis bonis non sufficientibus bona quoque hereditaria tenerentur; cf. supra §. 15.

[4]) Stat. a. 1303 O. 41; 1428 II, 10; 1433 O. 86.

[5]) cf. infra §. 81 et *Gildemeister* spec. leg. cit. p. 94.

[6]) Neque tamen in his legibus originem illius officii uxoris invenerim, sed tantum confirmationem; neque assentiendum erit Gildemeistero (spec. leg. cit. pag. 77:) „Dic igitur unde obligatio qua coniugem obstringi aiunt ad aes alienum omne solvendum, et si vel maxime omnia bona consumat? — Non sane ex ipsa communitatis natura eam emanare, quamvis ita censere videantur, (cf. e. g. *Hacke* l. c. cap. II §. XII not. x p. 48: „nam fundamentum solutionis aeris maritalis est communio bonorum.") mihi persuasum habeo. Oritur certe ex legibus positivis."

[7]) cf. *Berck* p. 454.

ex iure hereditario, bene accipere possumus etiam iure bremensi aliam quoque fuisse causam, ex qua mariti creditoribus tenerentur viduae. Quae quin eadem fuerit, quae et in reliquis his civitatibus omnique fere Germania, non dubitabimus. Quamvis enim aliis in locis nisi per bonorum reservationem coniugibus potestas non esset concessa, illam uxoris obligationem tollendi, [8]) tamen hac ratione iuris bremensis maior fuisse videtur clementia. [9])

§. 70.

Quemadmodum autem hac ex lege argumentum deducere possumus, Bremae quoque viduam iam ex propriis bonis maritalia debita solvere et debuisse et debere, ita idem fere inter omnes constat scriptores; [1]) quamvis saepenumero sive tacite sive expressim ad ius hereditarium viduae, illis temporibus per iura proximorum heredum iamdudum nullo modo impeditum, hanc eius obligationem referant. Neque vero quod inde huc pervenire potuerint nimis mirabimur, quippe quum fere omnes veram inter coniuges bremenses bonorum communionem esse exsistiment. Ubi enim bona re vera communia sunt, non diutius distinguere licet bona mariti et uxoris, ita ut beneficio inventarii uti non possint coniuges. [2]) Itaque nec fieri potuit, quin scriptores isti quoad obligationem coniugis superstitis praemortui debita solvendi omnino idem et de uxore et de marito iudicarent. [3]) Seposita vero falsa illa reporobandaque doctrina bremensi quoque iure maius esse uxoris officium dicemus quam mariti, quamvis coniuges verbis statutorum pares habeantur; maritus enim obligatus est tamquam uxoris heres, uxor autem et tamquam heres et tamquam uxor. Eadem igitur in omnibus his civitatibus summa sunt hac in quaestione principia, exceptiones vero, quas aut Hamburgi aut Lubecae obtinuisse diximus, Bremae non itidem valent. Uxorem enim orbam in debitis mariti solvendis liberiorem illam et habuisse et habere conditionem, quam recentius ei dat ius lubecense, neque legibus neque consuetudine usuque sancitum est. [4]) Nihiloque magis inter debita matrimonialia mariti et antematrimonialia, sicuti Hamburgi tamdiu factum est, distinguitur. [5])

[8]) cf. *Cropp* II p. 490; *Berck* p. 454.

[9]) cf. Gloss. Krefft. ad stat. a. 1433 O. 86 p. 264 sq., cui sententiae nec obstat *Ehepacten Ordn.* v. 1754 §. 1; cf. etiam *Rheden*: de successione coniugum §. XLVI, qui etiam iudicialem affert decisionem huc pertinentem.

[1]) cf. *Donandt* II p. 128; *Berck* §. 25, qui not. 516 magnum affert scriptorum numerum.

[2]) *Rheden* l. c. §. XLVI.

[3]) *Rheden* l. c. §. XLVI: „Bremae ob communionem bonorum et successionem plenariam coniugum superstes debita defuncti exsolvere tenetur."

[4]) cf. e. g. *Berck* p. 444 & 448.

[5]) cf. *Berck* p. 444, eundemque ad finem pervenit e. g. *Gildemeister* spec. leg. §. 23 p. 84, qui ad veram bonorum communionem hoc praeceptum refert, nec non e. g. *Klugkist* l. c. Sect. II §. IV, qui illatorum dominium marito tribuit.

IV.

De mariti creditorum in superstitem coniugem heredesque iuribus generatim.

§. 71.

Vidimus hamburgensi et bremensi iure semper sive superstites fuerint liberi sive non, lubecensi vero tum, cum supersint liberi, bona coniugum post alterius mortem non solum non separari, sed etiam mariti creditoribus plerumque esse obligata. Quatenus autem adversus eos, ad quos bona illa communia pertinent, actio creditoribus illis detur, paucissimis ut inspiciamus reliquum est.

Maritus quidem superstes semper solus verusque est debitor; quare creditoribus, quoties contra ipsum agant, non solum quamdiu bona nondum sunt divisa, ex omnibus satisfaciendum est, sed vel postea tamquam debitor semper tenetur. Quin ipsa reservata bona uxoris, quae tamquam uxoria bona aggredi non possent creditores, abhinc iis patent, quatenus ex hereditario iure a marito acquisita sint. Neque minus, si iam perfecta divisione plenaria bonorum solutionem poscant creditores, maritus ipsis tamquam debitor eodem modo erit obligatus, in alios autem, quibus bona communia pro parte cesserint, non statim dabitur actio (quum quae communibus insunt mariti bona, non per successionem universalem illi acceperint,) [1]) sed cessione opus erit eius actionis, qua maritus ipse ad illos regredi possit, quoties solus exsolverit debita ex omnibus bonis communibus solvenda.

§. 72.

Adversus viduam vero si creditores divisione nondum facta egerint, neque tamquam mariti heres ultra hereditatis vires tenebitur, nisi forte ex iure vetere hereditati obaeratae sese immiscuerit, aut ex recentiore inventarium omiserit conficere; neque tamquam uxor pro mariti debitis, quae per intercessionem etc. non simul propria fecerit, ultra poterit esse obligata, quam quatenus mariti curae atque potestati sua tradiderit bona. Reservata [1]) igitur et quae ab ea post mortem mariti fuerint acquisita, mariti creditoribus obligata non sunt. Itaque ut utrumque complectamur, ultra vires bonorum communium haud tenebitur vidua.

Sin vero iam facta divisione agitur a creditoribus, omnes, qui quamlibet bonorum communium partem legitime nacti sunt, pariter erunt rei, quum praemortui mariti bona tam in uxorem quam in ceteros cognatos per veram transeant successionem universalem. Quantumcumque

[1]) vid. *Berck* p. 438 sq.; cf. etiam p. 449.

[1]) *Lauterbach:* de aere alieno in societ. coniug. contr. §. 52 uxorem semper bonis communibus non sufficientibus, ex reservatis bonis mariti debita debuisse solvere putat. Cui merito oppugnat *Zerran* l. c. §. XLII. n. y.

igitur quisque eorum ultra suam ipsius partem in mariti creditoribus impenderit, cessis in ipsum eorum actionibus a reliquis poterit exigere.

Iam vero viduae, ut bona reservata bonaque postea acquirenda sibi servaret, opus erat, ne ullo modo bonis a marito relictis sese immisceret. Quod cum ab ipsa esset probandum neque facile posset probari, quoties, uti plerumque fieri solebat, bonorum communium penes ipsam remaneret possessio, multis in locis consuetudo increbuit, ut solenniter istis bonis renuntiaret vidua. De hac igitur solennitate, cuius natura atque vera vis post tot scriptorum errores tandem per diligentissimas recentiorum perscrutationes [2]) detecta est atque in lucem prolata, nobis erunt pauca dicenda.

§. 73.

Lubecae et Bremae quo primum tempore obtinuerit ista notissima nec his ipsis diebus omnino sublata consuetudo, dissentiunt scriptores. [1]) Ceterum harum abdicationum forma ipsa principalis summae antiquitatis prae se fert speciem atque effigiem, veterumque statutorum ea de re silentium eo minus obstat, quo iustius, ut mihi quidem videtur, in recentiorum verbis argumentum aliquod, quo illam sententiam muniamus, sese offerat. [2])

Antiquissimis enim temporibus clavium depositione tamquam symbolo significantissimo, lubecenses quoque bremensesque viduas aeque ac multarum Germaniae regionum [3]) atque ita esse usas, ut mariti exsequias comitantes aedium claves in ipso sepulcro relinquerent, neque unquam in domum defuncti reverterentur, satis constat. [4]) Quo autem tempore aut leges ipsae aut earum saltem commentatores primam huius consuetudinis faciunt mentionem, iam non amplius commemorantur claves. Iuris enim lubecensis in codice Brokesiano secundo haec tantum legimus: [5]) „*Stervet einer frouwen ehr man in schulden vordupet, unde de frouwe mit dem manne beervet, ere gueder werden beschreven uth vorloeve des rechten in jegewardicheit erer vormunder, des richteschrivers, twe beseten borger; darna let de frouwe samt eren vormunderen in gerichte apenbaren, dat er man in schulden vordupet unde se eme beervet, dat se moge luebisch recht geneten, unde dragen up den schuldeneren borgen unde dagdingk; des gifft er den ordel und recht, dat se schall nemen den richteschriver, in jegewardicheit tween beseten borgern, unde nemen*

[2]) *Hagemeister: Zeitschr. f. gesch. Rechtsw.* III Nr. 5 p. 170 sqq; *Berck* l. c. §. 17 sqq. & §. 31 sqq; *Hasse* l. c. p. 60 sqq; *Pauli* II §. 42.

[1]) cf. e. g. *Berck* §. 19; *Pauli* II p. 232 sqq.

[2]) *Pauli* l. c.

[3]) cf. *Berck* not. 174.

[4]) Lub: *Pauli* l. c; *Dreyer Einl.* p. 308 n. 6; *Brokes*: select. observ. for. (Lubecae et Altonae 1765.) obs. 582 p. 606. Brem: *C. a. Rheden*: de stat. brem. ad merc. comp. §. 51; *Berck* p. 509, qui not. 602 complures etiam affert scriptores.

[5]) Cod. Hach IV, 61.

nicht den slimsten ock den besten hoyken, nemen ere kinder by der hand, unde laten sick dar so uthleiden, so is se des mannes schulden nicht mehr tho antwerden plichtig noch se offte ere kinder edder erven." Pariterque statuta recentiora [6]) praescribunt: „*Stirbet ein Mann in Schulden vertiefft und solches offenbar, sollen seine nachgelassene Güter innerhalb sechs Wochen* a tempore scientiae *von den Creditoren inventiret* — — *werden*; *darnach muss sich seine nachgelassene Wittfrau mit Vormündern versehen und in sechs Monat bergen und Dachdings auftragen,* [7]) *so ferne als sie beerbet, und muss also Haus, Erbe und Güter mit einem Rock und Heucken, nicht den besten, auch nicht den ärgsten, räumen.*" Itaque hisce ex legibus opus erat, ut magistratus certiores ea de re fierent, omniaque bona, quorum inventarium erat conficiendum, [8]) a vidua solenniter, uti veteres constituunt leges, comitata domi relinquerentur. [9]) Recentiora praecepta quomodo haec abdicatio celebretur non exstant, excepto quod vidua ipsa in curiam veniat ad certiorandos iudices; [10]) putandum autem est, comitatum illum solennem necessarium non amplius sese habitum.

Similis fuisse videtur abdicandi modus iure statutario bremensi. Quamvis enim in glossa Kreff'tingiana [11]) id tantummodo dicatur: „*wo die Wittibe alsbald die Leiche aus dem Hause getragen, alle haab und güter verlässt, auch ins Hauss wiederumb nicht einkehret,* — — *mag sie sich der schulden damit woll entbrechen und der abforderung geübrigt bleiben;*" tamen eius secessioni iudicum certioratio praecedere debet, quum creditores convocandi sint, qui iuramentum manifestationis [12]) ab uxore praestandum postulare [13]) possunt. Neque vero sufficere illam nuntiationem [14]) putemus, quare merito recentiori quadam lege [15]) cautum est, ut domum vidua relinquat.

[6]) R. St. III, 1, 10.

[7]) Quorum verborum variae reperiuntur interpretationes; cf. e. g. *Mantzel & Wiedemann:* Diss. de vidua vel uxore lub. per cess. illat. se suaque futura bona salvante. (Rostochii 1754) nott. ad §. 8; *Stein Abh.* III §. 38; *Brokes* l. c. obs. 582 p. 604; recentiores autem, qui ea de re egerunt, de vera eorum significatione (cf. *Berck* p. 176 n. 183) consentiunt.

[8]) Haud scio an ex inventario conficiendo colligamus, in istis iam praeceptis non sine momento fuisse ius romanum cf. *Trummer E. R.* §. 35 not. 2.

[9]) Neque dubitandum est, quin ex voluntate creditorum iuramentum manifestationis vidua praestare debuerit. *Stein Abh.* III §. 38; *Mevius* Comm. ad R. St. III, 1, 10 Nr. 37; quibus an assentiat *Pauli* II p. 234 i. f. in ambiguo relinquam.

[10]) cf. *Stein Abh.* l. c. princ; *Berck* n. 187 [a].

[11]) Gl. Krefft. ad stat. a. 1433 O. 86 p. 266.

[12]) cf. stat. ref. 173: „*dass sie vor oder nach ihres Mannes Tode von ihrer beider Gute nichts ausgetragen, noch bei Seite gethan oder sonst verborget.*"

[13]) *Verordn. f. Deb. und Nachl. Sachen* a. 1843 §. 314; *Berck* p. 509 scriptoresque ibidem (not. 603 sq.) citt.

[14]) cf. *C. a. Rheden* l. not. 4 cit. §. 53.

[15]) *Verordn. f. Deb. u. Nachl. Sachen* §. 312.

De tempore quo huic solennitati satis fiat nil statuta vetera lubecensia exhibent; illi autem consuetudini, ex qua ipsarum exsequiarum die vidua aedes relinquere debuit, iam tunc derogatum fuisse inde intelligimus, quod secessionem inventarii confectio praecedit, quae intra paucos dies fieri nec facile potuit nec certe debuit. Et primo quidem tantum temporis spatium viduae datum esse putaverim, quantum suffecerit ut satisfiat novae isti formae, postea vero statuta recentiora praeceperunt, eoque iure utimur, ut bona intra sex a tempore scientiae hebdomades describantur et intra sex menses vidua domo cedat. Bremae initio, quamvis multi erant qui viduae maioris temporis spatium vindicare studerent,[16] vetus non remittebatur terminus, nisi iustae causae excusationis — puerperium, absentia, morbus etc. — probari potuerunt.[17] Recentioribus autem temporibus triginta a tempore scientiae dierum spatium viduae datum est.[18]

Ceterum tam hic quam Lubecae, quae sine iusta causa statutum praetermiserit tempus, aut iuri suo rite renuntiaverit, ultra vires bonorum communium creditoribus tenebitur,[19] quod Bremae itidem valebat, si aut ex bonis communibus quidquam ab uxore sit amotum[20], aut per ipsius culpam (e. g. prodigalitatem) bona communia non sufficiant ad debita solvenda.[21]

§. 74.

Vidua hamburgensis bonis communibus obaeratis renuntians similem solennitatem nunquam celebrare debuisse videtur. Neque vero propterea exsistimandum est, ultra illorum vires ipsam mariti creditoribus fuisse obgligatam, dummodo bonis communibus sese abstinuerit.[1] Statuta enim vetera[2] praecipiunt: „*Were dat ener vrowen ere man storve, unde er nen gud ne ervede, unde worde se hir na beraden mit helpe erer vrunde, unde wolde se jenich man schuldighen um eren ersten mannes schult; dar ne darf se nene not umme liden, ofte se dat betughen mochte mit erfhaftighen luden, dat se van erme ersten manne jenegherhande (nenerhande) gud untfangen hebbe. Desghelik eyner juncvrowen.*“[3] Quae lex quo tempore concepta fuerit, quamvis pro certo vix dicendum sit, quippe quum et ipsius

[16]) cf. *Berck* p. 474 & *Rheden* de succ. coni. §. XLVI.

[17]) cf. *Berck* p. 508 & not. 600.

[18]) *Verordn. f. Deb. & Nachl. Sachen* §. 305.

[19]) cf. *Berck* p. 531 sq; *Mecius* l. c. Addit. 2 ad Nr. 77; cf. autem ibidem Nr. 66 i. f: „— spatium, quo elapso iubetur exire e domo.“

[20]) Antea non sine dubitatione erat haec quaestio, cf. *Berck* not. fin.

[21]) *Verordn. f. Deb. u. Nachl. Sachen* §. 310; cf. etiam *Ehepacten Ordn.* a. 1754 §. 7; a. 1833 §. 14; quae leges, reservata bona uxori aut omnia aut pro parte denegantes, bona postea acquirenda omnino non tangunt.

[1]) cf. *Cropp* II p. 502; *Baumeister* §. 79 Nr. IV.

[2]) Stat. a. 1270 VI, 32; cf. stat. a. 1292 F, X; 1497 J, XV.

[3]) De verbis finalibus hoc loco nostrum finem non tangentibus cf. supra §. 58 not. 16.

verba [4]) et aliae rationes nos adducant, ut recentiorem eam, quam statuta quibus adiuncta est habeamus, [5]) tamen quin praeceptum illud non ex eo demum, quo pronuntiatum sit, tempore originem duxerit, tam ex antiqui juris germanici ratione, quam ex singulis huius legis verbis dubium non est.

Id certe hac ex lege patet, ritu solenni abdicationis vel tunc opus non fuisse, sed suffecisse, ut vidua probet, [6]) *„dat se van erme ersten manne nenerhande gud untfangen* [7]) *hebbe.“* Neque magis etiam statuta recentiora [8]) singularem ullam hac in re praescribunt solennitatem: *„Würde die Wittwe nach Absterben ihres Ehemannes wegen der auf dem Sterbhause befindlichen beschwerlichen Schulden, des Sterbhauses und der nachgelassenen Güter sich nicht anmassen, sondern den Creditoren des verstorbenen Ehemannes die nachgelassenen und am Sterbtage vorhandenen Güter wirklich und aufrichtig abtreten und auftragen, so kann dieselbe Wittwe, durch solche beständige Cession, von ihres verstorbenen Ehemannes Creditoren sich loswirken und entfreyen.“* — Neque vero satis fuisse putabimus, si vidua relictis omnibus bonis tacite domo excesserit; sed voluntatem suam aut creditoribus convocatis aut coram iudice certe debuit declarare, quo facto creditores bonorum communium curam atque administrationem susciperent secundum cuiusque temporis mores atque consuetudines. Quam declarationem quam primum post mortem mariti [9]) fieri debuisse, cum ipsa ratio atque natura docet, „nam si se immiscuit, tunc mariti debita — — exsolvere tenetur“, [10]) tum singula istius legis verba indicant. [11])

Viduas iam illis temporibus beneficio quod dicimus inventarii Hamburgi uti potuisse, quo a creditoribus mariti, quae sui ipsius aut essent aut forent, salva sibi servarent bona, nec statuta ipsa docent, nec alias ullum stat vestigium; [12]) nec immerito quum bona communia nequaquam hereditario tantummodo iure viduae deferantur. Saeculo autem praeterito medio cum parum, quae vera viduae sit conditio intelligeretur, constitutum est: [13]) — *„würde jemand nach seinem Tode in Schuldenlast vertiefft gefunden, sollen desselben Wittwe und Erben*

[4]) cf. *Trummer* l. c. §. 41.

[5]) cf. *Trummer Erbr.* p. 95.

[6]) *„Betughen mit erfhaftighen luden“* stat. a. 1270 VI, 32; *„betughen“* stat. a. 1292 F, X; 1497 J, XV; qua de immutatione cf. *Trummer* l. c. p. 99.

[7]) *„Beholden“* stat. a. 1292 & 1497.

[8]) Stat. a. 1605 II, 11, 15.

[9]) Pro certo autem habendum est, ante sepulturam mariti viduam lugentem hisce molestiis turbatam non esse.

[10]) „Uti iudicatum in causa *Lengerken* contra *Elisab. Backhof* d. 31 Jan. 1670“ *Comment. Anderson* ad Stat. a. 1605 II, 11. 15.

[11]) *„Des Sterbehauses und der nachgelassenen Gueter sich nicht anmassen — die am Sterbetage vorhandenen Gueter —“* cf. *Trummer* l. c. p. 80. Quin etiam veterum statutorum verbis: *„dat se nenerhande gut untfangen (beholden) hebbe“* eius modi maior vindicatur auctoritas.

[12]) Itaque nec *Trummer* l. c. p. 79 diversam defendens sententiam rationes affert.

[13]) *Neue Falliten Ordn.* a. 1754 art. 38.

— — *sich zu erklären schuldig sein, ob sie die Erbschaft den* Creditoribus *auftragen, oder sich derselben* cum [vel sine [14])] beneficio *unterziehen wollen.*" Atque si bonis cedere volunt, idem, quod iam antea valuisse ex ipsius rei natura deduximus, lege nominatim cavetur, scil. ut voluntatem suam coram senatu [15]) pronuntient, quo facto cum bonis communibus agatur, sicuti fieri solet in concursu creditorum; neque magis alterum huius legis praeceptum novum prioribusque temporibus incognitum habendum est, ut ex voluntate creditorum vidua iuramentum praestet manifestationis, *„dass sie nichts veräussert, an die Seite gebracht, verschwiegen, oder zurückgehalten.*" [16]) Differt autem haec lex a iure priori, quum viduae bonis cessurae sex hebdomadum spatium deliberandi concedat, [17]) intra quod tempus ipsi alimenta necessaria ex bonis communibus praeter funeris sumtus praestanda sunt. [18])

Neque vero, quod ex huius legis tempore inventarii beneficio uti maluerint viduae quam bonorum cessione, mirari possumus, [19]) quoniam non solum communium bonorum ad debita solvenda insufficientiam certius hoc modo poterant cognoscere, sed etiam per omne illud maioris temporis spatium, quod ad inventarium conficiendum iis concessum erat, ex communibus bonis erant alendae. Quamvis autem quae vidua hanc praeferebat viam, quoad formam reliquis aequiparata est heredibus, [20]) quoad effectum tamen par habenda erit ei, quae bonis statim cesserit.

§. 75.

Atvero quomodocumque et quando ista sit in singulis civitatibus declaranda solennis renuntiatio, in eo omnium statutorum est consensus, quod vidua relinquere debeat universa bona communia. Id quod secundum ius vetus hamburgense itidem valuisse, neque satis fuisse, si vidua mariti tantum defuncti bona creditoribus tradidisset, quamvis legis verba eiusmodi interpretationem patiantur, [1]) inde iam intelligimus, quod de vidua agatur a propinquis redotanda. Statuta vero recentiora hac ratione haudquaquam sunt dubia. [2]) Vidua igitur neque ullas retinere potest res, quae in communium bonorum numero sunt praeter vestimenta ne-

[14]) Quibus de verbis cf. *Trummer* l. c. p. 79.

[15]) *Neue Fallit. Ordn.* art. 39 Nr. 1; id quod his certe temporibus non valet, neque unquam fortasse viguit, cf. *Trummer* l. c. p. 85.

[16]) *N. F. O.* art. 39 Nr. 2.

[17]) *N. F. O.* art. 38. 39. Nr. 1. Quare quoad tempora recentiora comprobanda vix esse videntur, quae de vidua bonis cedente ait *Trummer* l. c. p. 80.

[18]) Arg. *N. F. O.* art. 45.

[19]) cf. *Trummer* l. c. p. 79.

[20]) cf. *N. F. O.* art. 40—42; cf. stat. a. 1605 III, 7, 2 — 5.

[1]) Stat. a. 1270 VI, 32; 1292 F, X; 1497 J, XV; *„offte se dat betughen mochte, — dat se von erme — manne nenerhande gut untfangen (beholden) hebbe.*"

[2]) Stat. a. 1605 II, 11, 15 & 16; neque discrepare putandum *N. F. O.* art. 38 sqq. quamvis viduam reliquis heredibus aequiparans de hereditate cedenda semper loquatur.

cessaria, quae in statutis lubecensibus nominatim excipiuntur [3]) paritérque ex iure statutario hamburgensi et bremensi [4]) ei erunt concedenda, (alimenta vero a creditoribus ex renuntiationis tempore praestanda non sunt,[5]) non enim vidua bonis cedere debuit) — neque ulla relinquere debet bona, quae communibus adnumeranda non sunt, licet a marito fuerint administrata. [6]) Si enim mariti tantum bona tradere deberet, non nisi tamquam heres teneri, sin vero bona quoque reservata, vel tamquam debitrix obligata esse videretur. [7])

§. 76.

Ceterum ex iure lubecensi et bremensi solennitatem istam nequaquam habuerim flebile et miserabile uxoris beneficium. [1]) Non enim uxor, quae bona illa eiusmodi relinquit, obligatione creditoribus mariti etiam ultra illorum vires satisfaciendi liberatur, — quam sententiam plerique scriptores prioribus temporibus defendere solebant, — sed quae bona non tradit, obligatur ultra vires bonorum communium.

Omnia igitur, quae uxor, postquam bonis cessit, acquirit, nec non bona reservata a mariti creditoribus adiri non possunt [2]), solis exceptis debitis, quae simul quoquo modo propria uxoris facta sunt. Uxoris enim si cum mariti concurrunt creditores, eo non amittunt ius ex bonis ab uxore aut reservatis aut acquirendis solutionem petendi; quum quod ad ipsos pertinet derelictio illa plus efficere non possit, quam cessio bonorum a quolibet debitore facta. [3]) Quare etiam superfluum esse videtur singulatim dinumerare, quomodo de variis maritalium et uxoriarum obligationum generibus hac ratione iudicandum sit. [4])

Postremo id quoque commemoretur, effectum illum abdicationis a

3) Cod. Hach IV, 61; R. St. III, 1, 10: „*einen Rock und einen Heucken* (cf. supra §. 36 & *Stein Abh.* III §. 39 pr.) *nicht den besten — nicht den aergsten.*“

4) *Berck* p. 513, scriptoresque ab eodem not. 612 & 613 citt.

5) *Mevius* l. c. Nr. 68—71. Quoad ius hamb. argumentum e contr. praebere videtur *N. F. O.* art. 45 (cf. supra §. 74 n. 18).

6) *Mevius* l. c. Nr. 72. 73; *Baumeister* §. 79 Nr. I; (quamvis de bonis reservatis nimis arctam defendat sententiam); stat. brem. ref. 174; *Berck* n. 616 scriptoresque ibidem citt; cf. autem *Erb. & Handv. O.* §. 8 b. (cf. supra §. 35 not. 5).

7) Utrumque autem per aliquod tempus Bremae non sine controversia valuisse videtur; cf. Gloss. Krefft. ad stat. a. 1433 O. 86 p. 264—267, (*Berck* p. 468 sq.)

1) cf. e. g. *Stein Abh.* III §. 38.

2) cf. praeter leges supra dictas etiam stat. hamb. a. 1605 II, 11, 14 & 16.

3) Quare stat. hamb. a. 1270 VI, 32 etc. speciatim de creditoribus tantummodo mariti agunt, meritoque *Scheining* ad stat. a. 1605 II, 11, 15 „quod si ipsa,“ ait, „una cum marito obligationi subscripserit ac tam personam quam bona sua obligaverit, aliud obtinere puto.“ Itaque reprobandum videtur singulare praeceptum (*N. F. O.* art. 39 Nr. 3) „*auch soll die Wittwe daran keine Hinderung leiden, wenn sie gleich nebst ihrem Manne sich bürglich eingelassen, oder als Selbstschuldnerin verschrieben hätte.*“

4) cf. *Berck* §. 33.

vidua tamquam bonorum communium administratrice factae, iis quoque prodesse, ad quos praeter uxorem bona pertinent, etiamsi ipsi abdicere nullo modo debent. [5])

§. 77.

Absolutis igitur his, quae dicenda esse videbantur de mariti debitis, ex quibus vidua eius creditoribus erat obligata, redeamus paucis ad ius lubecense, quod liberis ex matrimonio non procreatis utriusque coniugis bona separari neque uxoris bona mariti creditoribus vult teneri, neque tamen eorum sive antematrimonialium sive matrimonialium creditorum ius ex bonis mariti solutionem impetrandi ullo modo minuit.

Maritus si quidem est superstes, creditores eius dimidiam illam, quae ex bonis uxoris ipsi cedit, aggredi possunt partem, quippe quae ex iure hereditario iam sit facta mariti. Sin vero maritus praemortuus sit, uxor ceterique mariti heredes aequis partibus (cf. §. 56.) creditoribus eius tenebuntur secundum ea, quae de defuncti debitis ex hereditate solvendis supra (§. 58.) commemoravimus.

Uxoris autem bona quum creditoribus non pateant, praemortuo marito post illud triginta dierum spatium vidua non solum quidquid ex illatis in rerum natura adhuc supersit recipere potest, sed etiam de reliquis illatis ipsi sicuti ceteris mariti creditoribus ex bonis erit satisfaciendum, quae inter ipsam maritique cognatos aeque dividuntur (§. 52 et 56.) Quod idem dicendum est, sive sufficiant bona sive non; excepto quod, concursu a creditoribus maritalibus facto, viduae, quae non omnia quae intulerat per vindicationem recipere potest, ideoque reliquorum pretium per personalem exigit actionem, non omnium primus concessus sit locus (cf. supra §. 63.).

Quid vero, si uxor fuerit praemortua? Sufficientibus quidem bonis dividendis nulla occurrit difficultas, quod non idem est, si creditorum fit concursus.. Cognatos enim uxoris eius bona cum marito dividere supra (§. 52.) vidimus; iisque qua uxoris heredibus eadem quae uxori ipsi concedenda erunt in illatis repetendis dotis privilegia. Nam licet iure communi controversum sit, utrum privilegia dotis etiam uxoris heredibus competant, [1]) tamen ex iure lubecensi, si privilegia illa iuris romani dotalia translata non essent in statuta, heredes uxoris teneri nullo modo debuissent, quum ipsa non teneretur, neque video cur translatis illis istorum obligatio alia esse vel debeat vel possit. [2]) Ceteroquin

[5]) Cod. Hach IV, 61: „*noch se ofte ere kinder, edder erven*" — quod adhuc idem esse, quamvis taceant statuta recentiora, ostendit *Pauli* II p. 236; *Berck* p. 478 sq. & 505.

[1]) cf. e. g. *Vangerow Leitfaden zu den Pandectenvorl.* §. 375 Nr. 4, a.

[2]) Quare duplici ratione vituperandum est, quod in Gesterdingii anal. iur. lub. Nr. XXIV p. 240 legimus, privilegia dotis iure lubecensi uxori tantum eiusque liberis nepotibusque etc. competere; quum non solum liberis concedantur, sed etiam reliquis uxoris heredibus denegentur.

vel iure communi magis dicendum mihi esse videtur, heredibus quoque privilegia illa uxoris competere, eorumque in numero maritus quoque habendus est. Itaque et ipse et uxoris cognati quae exstant illata per vindicationem poterunt praecipere atque quoad actionem personalem creditoribus — exceptis iis, quos supra (§. 63.) commemoravimus — praeponentur. Unde quaeritur, utrum quae vindicari possunt bona aequis ex partibus inter illos dividenda sint, an omnia, dummodo partem, quae ipsis ex hereditario iure competit, non excedant, cognatis ita sint relinquenda, ut marito, ius sibi idem esse quod illis opponenti, doli obstaret replicatio, quippe quod ipse effecerit, ne illata supersint intacta. Sed iuris rationi hanc sententiam habuerim contrariam, pariaque esse debere putaverim et mariti et reliquorum heredum iura in illata exstantia. Nam replicatio doli tunc demum valeret, si maritus intra potestatis suae fines non constitisset, quae durante matrimonio in bonis uxoris administrandis ipsi datur; neque vero maritus, ex quo in recentiori iure lubecensi evanuerint heredum proximorum iura, ullo modo impeditus est, quominus libere uxoris bona alienet (cf. §. 14.). Dimidiam igitur bonorum exstantium partem est ipse vindicare potest, atque ob reliquorum demum dimidietatem supplendam personali contentus esse debet actione. At vero, quum bonis, ex quibus quam plurimum possit satisfiat creditoribus, actiones quoque debitoris adnumerandae sunt, creditores merito poscent, ut omnia, quae marito tamquam uxoris heredi per privilegia dotis acquirantur, ipsis pateant.

Postremo paucissimis inquiramus, quid sit dicendum, si durante matrimonio maritus uxoris bona valide aut pignori dederit aut hypothecas in iis constituerit. Quas dispositiones et uxor et heredes eius agnoscere debent, neque tamen eo ipso impedientur, quominus res illas vindicent. Quoniam autem non nisi cum suo onere eas recipere possint ideoque debita, ob quae pignora hypothecaeve constituta sunt, aut statim exsolvere debeant aut merito metuant, ne forte aliquando debeant: non tanti iis quanti illationis tempore res istae valebunt. Itaque denegandum iis non erit, ut quanto minus per vindicationem acceperint, tanto plus per actionem illam exigant, qua inter creditores mariti collocandos esse supra vidimus. Sed et potestas iis tribuenda erit omnino res illas recusandi, pretiumque earum actione personali exigendi. [3]) Quamvis enim ob deteriorationes, quae proprie dicuntur, compensationem poscere non possint, impignorationes tamen istas hypothecasve constitutas non tam in deteriorationum quam alienationum in numero habuerim, ob quas satisfaciendum est iis, ad quos illata pertinent.

[3]) Quod ius electionis maximi erit momenti in rebus pignori datis.

V.

De iuribus durante matrimonio creditoribus mariti in uxoria bona concessis.

§. 78.

Absolutis quae de mariti debitis post alterius coniugis mortem solvendis commemoranda esse videbantur, hoc loco ut ad eam redeamus quaestionem opus est, quam supra (§. 22.) seposuimus quatenus durante matrimonio bona ab uxore illata mariti creditoribus teneantur. Cui quaestioni eo brevius respondere possumus, quo maiorem marito tamquam familiae capiti cum in uxoris personam auctoritatem tum in ipsius bona potestatem tribuerit ius germanicum. Hinc enim procul dubio dicere licet, posse uxoris conditionem neque meliorem ullo modo neque liberiorem fuisse aut esse vivo marito, quam mortuo, quare si post mortem alterius coniugis uxoris bona creditoribus mariti tenentur, id idem durante quoque matrimonio erit dicendum, etiamsi specialiter nil sit cautum; contra autem, ubi non tenetur vidua mariti creditoribus, non statim pro certo accipere poteris, vivo quoque marito eandem uxori fuisse liberam conditionem.

§. 79.

Ea igitur respicientes, quae supra de viduae obligatione diximus (cf. §. 69. sqq.), facile videmus, ex iure b r e m e n s i nil prorsus interesse, „utrum durante coniugali foedere an illo soluto creditores urgeant solutionem;“ [1]) id quod lege quadam recentiori [2]) hoc modo sancitum legimus: „*Namentlich finden — — die nach gemeinem Recht der Ehefrau am Vermögen ihres Mannes zustehenden besondern Vorzugsrechte keine Anwendung.*“ Eandemque regulam iura statutaria h a m b u r g e n s i a sequi ex generali colligitur viduae obligatione (cf. supra §. 65. sqq.); atque praecipue per exceptionem istam, de qua ibidem egimus, omnino confirmatur. Itidemque et altera locum habet exceptio, quam hoc loco paucis commemoremus. [3]) Si enim omnia uxoris bona creditoribus mariti obligata sunt, ea quoque, quae uxor post concursum a mariti creditoribus factum adquisivit, mariti potestati subdita ideoque creditoribus eius obnoxia esse debent. Quod nequaquam a iuris ratione discrepat, at vero durum interdum esse potest uxori, perniciosumque omni rei domesticae, praeprimis si maritus perfide aut temerarie alieno aere sese obstringens sua culpa creditorum concursum provocaverit. Diligenti vero bonoque patrifamilias, qui calamitatibus immeritis eo pervenit, ut creditores concursum faciant, nulla est ratio cur potestas in bonis uxoriis adimatur. Neque enim ne in posterum illata perdat metuendum est;

[1]) *Klugkist* l. c. p. 91.

[2]) *Ehepacten-Ordnung v.* 1833 §. 9. *Cropp* II p. 497 sq.

[3]) De qua cf. *Trummer E. R.* §. 47;

neque per priorum creditorum actiones bona uxoria diminui possunt, quum posterioribus temporibus, qui non per suam ipsius culpam creditores ad concurrendum coegerat, per bonorum cessionem non beneficium tantummodo competentiae sibi servaret, sed omnino a creditoribus liber fieret. [4])

Quae rationes respiciendae esse videntur in interpretanda lege quadam recentiori, [5]) qua cavetur: *„Erbschaften die eines Verschuldeten Ehefrauen nach ihres Mannes Bankerot — — anfallen, imgleichen — Güter die sie nach solchem Fallissemente ihres Mannes* per legata, donationes inter vivos, *oder auf andre Weise für ihre Person acquiriret — — — ist der einmal Fallit gewordene Ehemann — — ohne ihren oder ihrer nächsten Anverwandten ausdrücklichen Consens mit Schulden zu beschweren oder zu verwalten nicht befugt; es wäre denn dass er durch Unglücksfälle zu Schulden gekommen, und* per beneficium cessionis *von allen seinen Schulden völlig befreit wäre.“* Cuius praecepti non eadem est forma in statutis a. 1605, quae ubi de uxoris officio agunt mariti debita solvendi, [6]) praescribunt: *„Was ihr aber nach des Mannes Tode oder auch nachdem derselbige entwichen anstirbet,* [7]) *dessen hat sie billig — — zu geniessen* [8]) *und haben ihres Mannes Creditoren* [9]) *keine Forderung oder Zuspruch daran.“*

Qua ex lege [10]) omnium debitorum qui solvendo non erant uxoribus ius illud concessum esse videtur, cui sententiae vix obstant verba: *„nachdem derselbige entwichen,“* quae de debitoribus ob aes alienum in fugam conversis tantummodo agere videntur. Non enim illis diebus, uti nostris, debitor se solvendo non esse publice declarabat, quoniam nihilo minus a custodia et carcere non liberabatur; sed fugere solebat, ut extrinsecus cum creditoribus transigeret, fidemque impetraret qua impune redire posset. [11]) Atque tamen haec lex de marito tantummodo, qui in

[4]) cf. *Trummer* l. c. not. 1 & p. 101.

[5]) *Neue Fallitenordnung v.* 1754 art. 28.

[6]) Stat. a. 1605 II, 5, 10.

[7]) Quod verbum parum diligenter dictum esse videtur, quum iam tunc (cf. *N. F. O.* art 39 & 28) omnia eo comprehenderentur bona, ab uxore quoquo modo adquisita; cf. stat. a. 1605 II, 11, 16; *Gries Comm.* I p. 297.

[8]) Unde iam colligere possumus, bona mariti administrationi ablata uxori reddita esse, ut a curatore administrentur. Nimis arctum enim esse videtur, quod de verbis: *„billig zu geniessen“* ait *Trummer E. R.* p. 77 i. f.

[9]) Generaliter quidem dicitur: *„ihres Mannes Creditoren“*, atque quamvis per legem ipsam adduci possimus, ut verba illa de prioribus tantummodo creditoribus interpretemur, praesertim quum et mariti mortis lex faciat mentionem, tamen non solum necessarium non est, sed etiam fieri non potest, quoniam, si maritus nova debita contrahendo uxoris bona posset afficere, nullum fere auxilium uxori latum esset.

[10]) In qua nec ulla occurrit distinctio, utrum per suam ipsius culpam an calamitatibus immeritis maritus ad fugam coactus sit, neque tacite praesumenda mihi quidem videtur; cf. autem *Baumeister* §. 79 Nr. IV.

[11]) cf. stat. a. 1605 I, 3, 4; *Gries*

fugam sese converterit, agere magis mihi videtur. Ortum enim esse putem hoc praeceptum,[12]) (cuius in statutis demum a. 1605 facta est mentio,) ex simili conditione viduae et uxoris a marito fugitivo domi relictae. Qua ex similitudine facile potuit evenire, ut quae postea uxor relicta acquireret, ipsi quoque viderentur reservanda, neque ei minus quam viduae statim omnibus esset cedendum bonis, quaecunque exstiterint fugae mortisve tempore.[13]) Ex quo autem debitores creditorum concursum metuentes domi remanere solebant, similitudine inter eorum uxores viduasque sublata, omnis illa utrarumque aequiparatio tolli debuisset. At vero usus forensis nihilominus bona post concursum mariti acquirenda uxori reservasse videtur, donec postremo per recentiorem illam legem[14]) melior ista uxoris conditio confirmata est, dummodo ne calamitates immeritae mariti fortunas ad naufragium perduxerint.

§. 80.

Quod vero ad ius lubecense attinet, secundum ea, quae supra (§. 60 sqq.) diximus, dubium non est, quin, si liberi exstent, vel durante matrimonio eadem iura, quae post alterius coniugis mortem, concedenda sint mariti creditoribus. De uxoris autem improlis officio durante matrimonio mariti debita solvendi paucis agamus, licet enim ex iure recentiori post mariti mortem non teneatur, fieri certe posset, ut nihilo minus teneretur, quamdiu viveret maritus.

Quod maritalibus creditoribus iure veteri satisfaciendum erat ab uxoribus, sive liberos haberent sive non, id primum immutatum esse supra vidimus per duas illas exceptiones, quarum altera in eo erat posita,[1]) ne matrimonio paullo post nuptias soluto vidua orba creditoribus mariti antematrimonialibus teneretur. Quod an pariter valuerit, si paullo post initum matrimonium creditorum mariti fieret concursus, valde dubium esse videtur; ad illam enim sanctionem aequitas forte adduxit, ut ex bonis, quae mariti fidei atque curae commiserat, restituendis amoris vitaeque coniugalis qualecumque uxor haberet solatium. Altera autem exceptione, quam et recentiora exhibent statuta,[2]) cave-

Comm. I p. 297; *Baumeister* §. 45 Nr. I.

[12]) Singulare autem legis beneficium illud uxoris ius habendum est, quaecunque generales sint bonorum coniugalium conditiones; cf. *Trummer* l. c. p. 114 sq.

[13]) cf. stat. a. 1605 II, 11, 14, quam legem itidem (licet obstare videantur verba generalia: *„nach des Mannes — Falliment"*) de fugitivo tantummodo debitore agere putabimus, quippe quum cessioni illi tunc demum locus esse possit, ubi bona in ipsius uxoris manibus sint, id quod in uxore debitoris praesentis non aequo accipiendum est, ac in vidua fugitivique mariti coniuge. Merito igitur cessionis mentio non amplius fit in recentiori illa lege *(N. F. O.)*, quoniam tunc debitorum obaeratorum fuga paullatim in desuetudinem venerat.

[14]) *N. F. O.* art. 28.

[1]) Cod. Hach II, 16; III, 158.

[2]) Cod. Hach II, 11; III, 153; R. St. 1, 5, 7.

tur, ut, debitore sive cum bonis suis sive relictis illis in fugam se convertente, ipsius creditores solutionem impetrare non possint ex bonis uxoris improlis. Nam leges illas, uxorem non orbam teneri, eo tantummodo dixisse putaverim consilio, ut inde cognoscatur, improlem e contrario in hoc casu non teneri: ut enim uxor non orba teneretur speciali lege opus non erat. Quod saepe minus intellexerunt scriptores putantes, id ipsum pro exceptione esse habendum, ut uxor non orba teneretur. Unde profecti quaerebant, utrum uxor non orba tum demum teneretur, si fugitivus esset maritus, an tunc quoque quum creditores debitoris praesentis concursum facerent. Itaque recte cogitantes, in hoc quoque casu teneri debere uxorem non orbam, oblitique id ipsum illius legis esse fundamentum, quippe quae in improli tantummodo mariti fugitivi uxore singularem statueret exceptionem, studuerunt, ut hac ipsa ex lege demonstrarent, verba quae de marito fugitivo agerent etiam praesentem comprehendere, cuius creditores concursum fecissent. [3])

[3]) Quo ex studio ortus est e. g. libellus: „*Hach: wann haftet nach lüb. Rechte die beerbte Ehefrau f. d. Schulden ihres Mannes? Lübeck* 1811.“ Neque vero ex ipsa huius legis falsa, quam sequitur, interpretatione auctor probanda mihi probasse videtur, licet ad rectam tandem pervenerit sententiam, uxorem lubecensem non orbam etiam in concursu a creditoribus mariti durante matrimonio facto semper teneri. Ea enim eius est argumentatio atque ratiocinatio: Uxorem lubecensem non orbam mariti creditoribus teneri 1) marito mortuo; R. St. III, 1, 10; II, 2, 26; II, 2, 28 (quod omnino est comprobandum); 2) si maritus fugitivus *(„flüchtig“)* sit; R. St. 1, 5, 7; quibus verbis utrumque comprehendi: a) si in fuga *(„auf der Flucht“)* sit, (quod inter omnes constat); b) si solvendo non sit. *Dreyer Einl.* p. 270, 281, 295. Esse quidem leges, quae procul dubio fugitivum neminem habeant nisi eum, qui in fuga versaretur; e. g. R. St. IV, 17, 1; plerumque autem, ut verbo: „*flüchtig*“ ista sit significatio, additamenta quaedam accedere, veluti R. St. IV, 3, 3 — „*flüchtig dass man seiner nicht mächtig werden könnte*“ —; III, 4, 2 — „*in der Flucht und fugitivus*“ —; V, 4, 3 — „*entläuft einer — und wird also dingflüchtig — also flüchtig*“ —. Neque deesse leges, in quibus fugitivus indubitate dicatur pro obaerato, ut R. St. I, 5, 10; III, 1, 4; III, 5, 6; V, 7, 19. Quamvis autem negandum non est, quibusdam in legibus vocabulum illud utramque complecti significationem, tamen, quum utraque tantopere discrepet, quamdiu illa defendi potest haec omittenda est. Iam vero in ea lege, unde maxime iste Hachii libellus ortus est (R. St. I, 5, 7) vulgaris haud dubie verbi: „*flüchtig*“ accipienda est interpretatio; hac etenim lege si iamiam constitutum esset, ne in concursu, qui durante matrimonio fieret a creditoribus mariti, teneretur uxor orba — nam vel ex Hachii sententia, haec lex non id solum diceret uxorem non orbam teneri concursu facto aut marito in fugam verso, sed etiam uxorem orbam non teneri! — nulla adesset ratio, cur postea iterum de uxoris orbae conditione quae sit in concursu ageretur. Eaque ipsa lege ad verbum fere ex statutis veteribus (Cod. Hach II, 11) translata, putandum non est, aliam isti verbo hac, aliam illa in lege esse significationem. Neque usquam veteribus in statutis verbi: „fugitivus“ significatio vulgari illo sensu discrepare videtur: cf. 1) Cod. Hach II, 183, ubi in nonnullis codicibus (not. 13) additur: „*unde sin god — — mede vorfluchtig is*“; III, 36; 2) Cod. Hach II,

Itaque quum haec exceptio secunda in recentiora quoque statuta translata sit, ubi uxorem improlem soluto matrimonio mariti creditoribus amplius non teneri supra (§. 60) vidimus, facile putare possemus, eam tunc quoque temporis tamquam exceptionem valuisse, nisi aliae obstarent leges. Constituitur enim: *„Es darf (*i. e. *braucht) niemand gegen seiner Ehefrauen damit er unbeerbet ist, oder auch ihren Freunden ihren Brautschatz verbürgen, es wäre denn, dass er ihr beiderseits Gut unnützlich verschwendet — — dann auch wenn er umb Schuld willen arrestiret oder sonst vorflüchtig werde, und er seine Frau gern mit Recht mit sich nehmen wollte.“* [4]) Uxori non orbae ut maritus bona sua pro illatis impignoret necesse non est, quia nil uxoris interest, quae soluto matrimonio bona illata repetere non potest. Neque ulla eiusmodi impignorationi fuisset vis atque auctoritas, si uxor orba durante matrimonio a creditoribus mariti obaerati cogi potuisset ad tradenda bona illata. Quamvis enim tunc maritus bona illa non ex arbitrio suo, ut satisfaceret creditoribus alienare potuisset, ipsi tamen creditores ea proprio iure semper aggredi potuissent. Quare aut cautionem istam omnino pro inani habere nobis necesse est aut concedere oportet uxorem orbam iure lubecensi nec durante matrimonio obligatam esse mariti creditoribus. Evidentius autem alia quoque lege constituitur: [5]) *„Also auch wenn eine Frau mit ihrem Manne, der in Schulden vertiefft, unbeerbet ist, mag sie ihren Brautschatz repetiren, freien und aus den Gütern ziehen;“* quam de concursu durante matrimonio a mariti creditoribus facto agere ex verbis sequentibus intelligimus: *„Wann sie aber noch in den Jahren ist, darinnen sie Kinder gebären kann, so muss gemeldter Brautschatz“* — scil. ut bona liberis nascituris conserventur [6]) — *„wieder an gewisse Oerter belegt werden, und mag daran die Frau die jährliche Abnützung zu ihrem Besten unverhindert gebrauchen.“*

Quibus ex legibus [7]) patet, iure lubecensi recentiori uxorem orbam

38; III, 83; cuius posterioris legis (III, 83) verbis: *„entwcken unde vorvluchtig“* haud alium sensum attribuendum esse atque illius (II, 38): *„entwcken oder vorvluchtig“* iam per se patet. 3) Cod. Hach II, 86; III, 35; 4) Cod. Hach II, 90; III, 221. Quare et in Cod. Hach II, 11 a vulgari interpretatione verbi: *„vorvluchtig“* erit proficiscendum, neque minus in nostra recentiorum statutorum lege (I, 5, 7). Praeterea *Hach* exsistimat iam ob verbum: *„bekenntlich“* verbo: *„flüchtig“* praesentem comprehendendum esse maritum obaeratum. Nonne autem et absentis confessiones esse possunt, quas aut olim fecerit in iudicio aut creditores quoquo modo probaverint?!

[4]) R. St. I, 5, 10.

[5]) R. St. I, 5, 11.

[6]) De quo huius legis additamento cf. *Mevius* Comment. ad art. cit. Nr. 35—45 & addit.

[7]) Non enim inniti possumus lege R. St. III, 1, 12, ubi privilegia dotis non solum viduae sed generaliter uxori concedantur, quippe qua lege id unum constituatur, quo loco uxor, quoties bona illata repetere possit, collocanda sit inter creditores.

vel durante matrimonio bona sua creditoribus mariti relinquere non debuisse. Id vero ex generali illa uxoris obligatione, quae antiquitus erat, remansit, ut in mariti ex captivitate redemtionem orba quoque uxor omnia sua convertere debeat bona. [8])

§. 81.

Superest denique, ut inquiramus, utrum, quae viduae est potestas renuntiando bona tam reservata quam futura sibi servandi, eadem concedenda sit uxori, ut mariti creditoribus concurrentibus saltem quae postea acquisitura esset [1]) sibi conservet bona.

Hisce in civitatibus omnes uxores, excepta sola lubecensi orba, vel ex bonis postea acquisitis, dummodo in mariti venerint potestatem, ipsius debita exsolvere debent, eademque, quae in aliis, in istis quoque bonis iura competunt creditoribus. Quare ut bona post mariti concursum acquirenda sibi servet, pacto opus erit, ne in mariti transeant potestatem, sed bona ipsa [2]) fiant uxoris reservata. Quae pacta an valeant, multifariam est disputatum. [3]) Equidem illicita ea certe habuerim pacta, quibus bona iamiam illata creditoribus auferre studeant coniuges, nec vero illa. Non enim creditoribus mariti ius quaesitum est in omnibus, quae uxor aut habeat aut habitura sit, sed in iis tantummodo bonis quae, quo tempore creditores solutionem petant, [4]) in mariti manibus et cum ipsius bonis unita sint.

Atque tamen saepenumero etiam vivo marito scriptores ius abdicationis tribuerunt uxori, et concursu creditorum maritalium facto, quae supra de vidua dicta sunt, ipso iure in uxorem transtulerunt. Quod quidem comprobandum non videtur, quum non sit eadem utriusque ratio et conditio: Viduae enim bona postea acquirenda proprie non tenentur, uxoris ipso iure tenentur. Sed et cessio illa bonorum neque quidquam proficeret uxori, nisi simul eiusmodi pactum, de quo modo diximus, cum marito inierit, neque opus ea est, quum pactum illud omnino sufficiat. Neque ex legibus supra ea de re allatis [5]) ullo

[8]) R. St. I, 5, 6 coll. cum Cod. Hach II, 11; III, 153.

[1]) Bona enim reservata, quin libera ei maneant, nemo est qui dubitet. In his enim iam antea mariti creditoribus nihil iuris competebat neque oriri potest ex concursu, quo debita mariti nullo modo, sicuti per immixtionem soluto matrimonio fieri solebat, propria uxoris reddi possint.

[2]) Quibus in pactis fructus illorum bonorum ita marito reservari possunt, ut pro illatis habeantur.

[3]) cf. *Berck* n. 610, qui complures utriusque sententiae defensores dinumerat.

[4]) Nil igitur interest, utrum primam petant solutionem, an reliquum, quod in concursu impetrare non potuerunt.

[5]) Cod. Hach IV, 61; R. St. III, 1, 10; — stat. hamb. a. 1605 II, 11, 13 (de praeceptis enim II, 5, 10 & *N. F. O.* art. 28 iam supra §. 78 egimus); — Gl. Krefft. ad stat. 1433 O. 86.

modo sententia ista mihi muniri videtur, quum tantum de marito mortuo agant. [6])

Atque tamen haec sententia merito reprobanda [7]) per usum forensem Lubecae sancita est, id quod praecipue per falsam illius in viduis requisitae solennitatis interpretationem effectum est. [8])

Tit. III.

De debitis uxoris.

§. 82.

De debitis uxoris quomodo iudicandum sit soluto matrimonio, statuta nil fere praecipiunt. Ex iis vero quae supra cum de ipsa successione coniugum (§. 51 sqq.) et de generali heredum conditione (§. 58), tum de debitis ab uxore durante matrimonio contractis (§. 38 sqq.) commemorata sunt, haec mihi statuenda esse videntur:

Primum et hoc loco omnes seponamus oportet uxoris obligationes, quas invalidas contraxerit aut nullas, quales ex iure harum civitatum solo bremensi recentiori excepto (cf. supra §. 35) sunt, quas sine curatore inierit. [1]) Itemque nos non tangunt obligationes, quae, licet ab uxore initae, propriae tamen mariti habentur, scil. domestica ut ita dicamus debita (cf. supra §. 42). Reliquarum autem omnium uxor vera est atque sola debitrix. Impedimentis igitur, quae creditoribus, si durante matrimonio egissent, ex iuribus mariti obstitissent, una cum matrimonio plane sublatis, post m o r t e m m a r i t i universa uxoris bona [2]) omni tempore creditoribus eius patent, sive supersint liberi sive non. Quamvis enim viduae, quae cum liberis in compossessione remanserit, bona postea acquirenda, nisi aut tacite aut specialiter ei soli reservata sint ab auctore, communia augere deberent (cf. §. 54), ideoque ex ea demum tenerentur parte, quae omnium bonorum communium uxori per hereditatis iura competit, creditorum tamen iura maiora esse videntur. Nam similem eorum habuerim conditionem ac creditorum uxoris antematrimonialium, qui durante matrimonio a marito solutionem petant ex bonis post nuptias ab uxore adquisitis (cf. §. 45). Reliqui

[6]) Aliter iudicant *Mantzel & Wiedemann* l. c. §. XIV qui falsam illam sententiam etiam sancitam esse putant per R. St. III, 1, 10 verb: „*Stirbt ein Mann in Schulden vertiefft*," quoniam per concursum civilis mariti mors orta sit.

[7]) cf. *Pauli* II p. 229, quocum non consentit *Behn* l. c. p. 30 sqq; *Berck* §. 31 sq.

[8]) cf. *Pauli* II n. 280.

[1]) De exceptione enim illa exigua, ex qua secundum harum quoque civitatum iura statutaria mulieres in rebus minutiis sine curatore valide obligari posse supra vidimus, hoc loco iterum non agamus, quippe quibus de obligationibus idem valeat, quod de iis quas cum curatore validas contraxerint mulieres.

[2]) Quae quanta sint, ex regulis de iure hereditario uxoris supra (§. 56) traditis colligitur.

autem, quibus bona communia competunt, creditores uxoris merito ad ipsam repellent debitricem. Sed quum praemortua quoque uxore impedimenta illa creditorum una cum matrimonio tollantur, maritus et liberi [3]) vel ad quos alios bona uxoris fuerint delata, creditoribus eius teneantur neque vero ultra vires hereditatis, i. e. bonorum uxoriorum. Qua ratione omnia, quae supra de heredum conditione dicta sunt, [4]) valere, neque vel inter matrimonialia et antematrimonialia uxoris debita distinguendum esse equidem putaverim. At vero hac de re magnus est scriptorum dissensus, [5]) licet de antematrimonialibus non idem, [6]) qui de matrimonialibus. Alii enim matrimonialia, dummodo valide fuerint inita, a marito etiam ultra eorum, quae uxoris sunt bona, vires exsolvenda esse putant. [7]) Quod alii itidem pro vero habent in iis tantum debitis matrimonialibus, quae maritus vel durante matrimonio exsolvere debuerit; [8]) quominus autem ea, ex quibus licet valide contractis durante matrimonio creditores ob iura mariti agere non potuerint, soluto illo exsolvat, omnino liberant maritum. [9]) Alii denique maritum merito non nisi tamquam heredem teneri ducunt. [10]) Itaque nisi fortasse tamquam heres ultra vires hereditatis tenetur, sui ipsius ex bonis praemortuo uxoris debita non magis solvere tenebitur, quam durante matrimonio. Itidemque personam eius uxoris creditores aggredi non possunt.

Tit. IV.

De superstitis parentis liberorumque debitis durante compossessione contractis.

§. 83.

Duae hoc loco tractandae sunt quaestiones: quid sit dicendum de debitis liberorum, quantumque compossessioni sit tribuendum momentum in debitis durante ea a parente superstite contractis. [1])

Coniugi superstiti de bonis communibus dispositiuro prioribus tem-

[3]) Liberi autem cum patre compossidentes, condominique bonorum communium facti (alioquin enim adiri omnino nondum possunt) creditores agentes ad patrem possunt delegare.

[4]) Itaque maximum tollitur argumentum, quo nititur *Berck* p. 505 & n. 598, ut ostendat, duram esse communem doctorum sententiam quamvis iuris rationi conveniat, marito beneficium abdicationis denegantem.

[5]) Quam variae hac de re exstiterint sententiae cf. *Berck* n. 626.

[6]) cf. *Pauli* II p. 109 sq.; *Berck* p. 436; *Donandt* II p. 187.

[7]) cf. e. g. *Pauli* l. c., qui paucissimis tantum ea de quaestione agit.

[8]) cf. e. g. *Berck* p. 437.

[9]) cf. e. g. *Berck* p. 438: „*weil sie nicht auf dem Gegenstande seiner Erbfolge hafteten.*" — tenentur autem iam tunc bona illata, quamvis creditorum actio ob iura mariti dilata sit.

[10]) cf. e. g. *Donandt* l. c.

[1]) De debitis enim et matrimonialibus et antematrimonialibus durante compossessione solvendis supra (§. 71) egimus.

poribus heredum proximorum obstitisse iura, quae et liberis danda esse iam supra vidimus, per se patet, quare hoc loco id unum consideremus oportet, quatenus praedefuncti coniugis immobilia, etiam quoad parentem superstitem hereditaria fiant, in quibus ab ipso alienandis liberi ius habeant dissensus. Statuta lubecensia recentiora [2]) legali illa bonorum hereditarioum definitione haecce bona non comprehendunt. [3]) Iure autem veteri, quamvis statuta nil ea de re agant, aliud dicendum esse videtur. [4]) Quin etiam fortasse immobilia conquisita mariti, ubi per mortem uxoris non orbae in compossessionem venerint, hereditaria facta sunt, [5]) ita ut dicere liceat, eo ipso, quod immobilia communia sint facta, fieri etiam hereditaria; quae sententia a natura atque ratione nequaquam abhorret. Statuta autem hamburgensia quamvis constituant, [6]) hereditaria esse bona *„von elderen — ofte vrunden"* delata, tamen ea ipsa in lege [7]) bona a coniugibus durante matrimonio emta, altero defuncto hereditaria fieri dicuntur. [8]) Quanto magis igitur idem valuisse putemus in immobilibus praedefuncti bonis. Iure quoque bremensi ex verbis legum huc pertinentium: *„so weme erve besterret"* [9]) colligi posse videtur, omnia praedefuncti immobilia post eius mortem hereditaria facta esse, cui sententiae vix altera obstat lex: [10]) *„so wor en claget — — umme erve — dat eme beslorven sy van synen olderen edder van synen vrunden* etc." Licet enim verbo: *„vrunde"* cognatos tantummodo comprehendi concedamus, [11]) tamen hac constitutione legalem bonorum hereditariorum definitionem dari debuisse non est putandum. Diversa autem nobis occurrit sententia in praecepto quodam statutorum reformatorum, [12]) cuius ex verbis similem ius bremense ac lubecense hac ratione subiisse immutationem intelligamus. [13]) At vero haec im-

[2]) R. St. I, 10, 6.

[3]) — *„Von Eltern oder Blutsfreunden in aufsteigender, absteigender oder Seitenlienie"—;* cf. etiam *Pauli* I §. 25.

[4]) Id quod probavit *Pauli* I §. 11.

[5]) cf. *Pauli* II §. 27, qui plurima argumenta veteribus ex litteris affert.

[6]) Stat. a. 1270 I, 8; 1292 C, IV; 1497 J, VI; 1605 III, 1, 7.

[7]) cf. autem loco legum recentiorum stat. a. 1497 G, V; 1605 II, 8, 3.

[8]) De diversis huius legis interpretationibus cf. *Cropp* II p. 557 n. 224; *Gries Comm.* II p. 121; *Trummer Erbr.* §. 62; *Vortr.* III p. 257 sqq; *Pauli* I p. 81 sq; *Baumeister* §. 116 (I, a & not. 7). An forte ex ea colligere possimus, iure quoque hamb. sicuti lub. bona, si communia facta sint, eo ipso et hereditaria esse facta?!

[9]) Stat. a. 1303 O. 53; 1428 II, 53; 1433 O. 54; cf. *Oelrichs* Glossar. sub voce: *„besterven"* (p. 21) — „obvenire alicui lege quadam succedendi, *erblich anheimfallen"*; non solum iure cognationis *(„nach Geblütsrecht")* ut ait *Berck* n. 216.

[10]) Stat. a. 1303 O. 6; 1428 II, 28; 1433 O. 5.

[11]) cf. etiam *Pauli* I p. 200.

[12]) Stat. ref. 160; *„upstande erve unde liggende grunde, de van ehren Vorolderen, thom wenigsten van ehren grotevader edder grotemoder hergekahmen undt op se dorch dalstigende linien edder sithlinien* mediate *edder* immediate *geervet syn* etc."

[13]) Eadem ex lege alia quoque ratione heredum proximorum iura arctiores in fines redacta esse videmus, quoniam

mutata bonorum hereditariorum definitio nos non tangit, quum, quo tempore sancita est, heredum iura in alienationibus generis onerosi [14]) iamiam sublata esse supra (§. 14) viderimus. [15])

§. 84.

Quod ius liberis, sive pater fuerit superstes sive mater, pariter competebat; ceteroquin autem distinguendum est, uter coniugum praemortuus sit. Patre enim superstite dubium esse non potest, quin, licet in alienandis bonis communibus neque maiore fortasse fruatur iure, quam durante matrimonio, neque adultorum liberorum quasi heredum proximorum iuribus quidquam possit detrahere, de debitis tamen, quae durante compossessione contraxerit, idem valeat quod de matrimonialibus.

Viduae, cui praemortuo marito ius compossidendi bonaque communia administrandi itidem competit (cf. supra §. 54), quamvis multo liberior sit conditio, quam vivo marito, nullo tamen modo eadem, quae illius ipsius est potestas. Iure enim lubecensi vidua neque ipsa a cura sexus libera est, [1]) neque liberorum tutelam suscipere potest, sed ut tutores iis dentur consulere debet, [2]) nisi pater ipse antea iam eos constituerit. [3]) Bonorum quidem habet communium administrationem fructibusque eorum libere utitur ac fruitur, [4]) neque vero dissentientibus curatoribus liberisque eorumve tutoribus ipsorum bonorum quidquam alienare potest. Quod tunc tantummodo speciatim habemus praeceptum, [5]) si omnes iamiam liberi plenaria nondum facta bonorum divisione ex parentum domo excesserint, [6]) ac tamen quin itidem locum habeat, ubi liberi adhuc sint *„in der Were“*, quis est qui dubitet. Quemadmodum autem illa in lege exceptio statuitur ob alimenta necessaria paranda, [7]) ita matri quoque, cuius in domo adhuc sunt liberi, permittendum erit, ut non solum ad se suosque alendos, sed etiam ad educandos liberos et alienare possit bona communia et obligare, etiamsi tutorum curatorumque consensum aut quaerere non potuerit aut certe non impetraverit. Reliqua autem debita omnia licet cum curatore contraxerit ex ipsius tantummodo bonorum communium parte exsolvenda sunt. [8])

hereditaria ea demum appellet bona, quae iam ad eum, cuius ex hereditate acquirantur hereditario iure devoluta sint.

[14]) Quas unas a nobis respiciendas esse supra iam commemoravimus.

[15]) De qua omni quaestione cf. *Berck* n. 215—217.

[1]) cf. Cod. Hach II, 100; III, 13 & 179; R. St. I, 7, 4.

[2]) Ad quod faciendum trium mensium spatium ei concessum est; cf. R. St. I, 7, 12; *Vorm. Ord. v.* 1820 §. 3; cf. etiam *Pauli* II n. 152 i. f.

[3]) Cod. Hach I, 70; III, 179; R. St I, 7, 4.

[4]) Ob prodigalitatem autem viduae liberos plenariam bonorum divisionem impetrare potuisse, supra (§. 55) vidimus.

[5]) R. St. II, 2, 8.

[6]) *Eichhorn D. R's. Gesch.* II §. 370 I, B, hanc legem de liberis agere putat, cum quibus plenarie iam diviserint parentes; contra quem cf. *Pauli* II not. 148.

[7]) *„Welches sie zuvorn eydlich erhalten muss.“* R. St. l. c.

[8]) *Pauli* II p. 143 sq.

Liberior viduae **hamburgensis** est conditio, quippe quae ut extranei liberis dentur tutores petere quidem potest, [9]) nec tamen ipsa tutelam eorum prohibetur suscipere; [10]) quod si fecerit praeter curatorem sexus duo adiungendi sunt viri assistentes. [11]) Quoad autem bona communia quam exigua eius sit potestas, ex recentiori quadam intelligimus lege, qua viduae cum liberis minoribus [12]) superstiti imperatur: „— *das Gesammtvermögen — mit Zuziehung der Assistenten — zu realisiren und dasselbe auf ihren und ihrer Kinder gemeinschaftlichen Namen anzulegen.*“[13]) Quam sententiam vel si maiores sint liberi sequi videtur usus fori. [14]) Itaque vidua arbitratu suo bonis ipsis communibus uti non potest, exceptis iis, quae ab ipsa durante compossessione acquisita, communia quidem augent, sed ipsius disponendi facultati non detrahuntur, [15]) id quod idem de omni valet supellectile. [16]) Nec non minori iure vidua fructibus bonorum communium liberrime uti potest, dummodo ne prodiga exsistat, quo facto ad bona omnia dividenda cogi eam posse, supra (§. 55) vidimus. [17]) Obligationes valide i. e. curatore adhibito contractae bona quoque communia afficiunt, [18]) quorum quae ad se suosque alendos liberosve educandos atque moderate dotandos suceptae sunt ex omnibus erunt solvendae bonis, reliquae ex ipsius tantummodo parte.

Quae omnis viduae conditio prioribus certe temporibus nondum valebat, quamvis qualis tunc fuerit nequaquam consentiant scriptores. [19]) Exstat quaedam antiquior lex, [20]) qua vidua bona communia sine liberorum maiorum consensu alienare vetitur, neque vero an singularia quae-

[9]) Sin vero ipsa tutelam suscipere nolit praeceptum statutorum a. 1605 III, 6, 12 locum habet, quod fere omnino cum statutis recentioribus lub. I, 7, 12 congruit.

[10]) In statutis a. 1605 III, 6, 5 (de iure vetere cf. *Trummer Erbr.* §. 160 i. f. & 161; *Vortr.* III p. 192 sqq. & p. 382 sqq.) non solum sine speciali magistratuum permissione hoc ius ei non competit, sed etiam iuramentum vidua praestare debet. Quibusdam autem rationibus privilegiata eius est conditio; cf. stat. a. 1605 III, 6, 5; *Vorm. Ord. v.* 1831 & 1838 art. 24; *Gries Comm.* II p. 71. Itidemque his quoque temporibus liberorum tutela ius tantummodo est matris viduae; cf. *Vorm. Ord. v.* 1831 & 1838 art. 7.

[11]) *Vorm. Ordn.* loco not. 10 i. f. cit.; quae sit ratio huius legis et statutorum a. 1605 (III, 6, 5) cf. *Trummer Erbr.* §. 161 i. f.; *Baumeister* §. 93 Nr. IV.

[12]) *Vorm. Ord.* art. 1 in fine.

[13]) *Vorm. Ord.* art. 47 „— *doch bleibt es dem gewissenhaften Ermessen der Mutter und — Assistenten überlassen, ob und in wie weit — sie Ausnahmen — für zuträglich halten.*“

[14]) cf. *Baumeister* §. 85 n. 37, qui merito hunc usum comprobare non videtur; cf. etiam *Trummer E. R.* §. 167.

[15]) *Vorm. Ord.* art. 47 i. f.

[16]) *Vorm. Ord.* art. 44.

[17]) cf. e. g. *Baumeister* §. 85 Nr. II (n. 15).

[18]) cf. *Baumeister* l. c. Nr. III (n. 41).

[19]) cf. *Trummer Erbr.* §. 88 sqq; §. 160 sqq; §. 167; *Baumeister* §. 85 Nr. II & III; *Gries Comm.* II p. 277 sqq; *Klefeeker Sammlg.* IV §. 198 (p. 483 sqq.).

[20]) Rec. a. 1529 art. 33, cuius verba scriptores modo dicti exhibent.

dam de viduae cum maioribus tantummodo liberis superstitis conditione praecipiat, neque an et quatenus his quoque temporibus valeat haec lex constare videtur. Statuta certe anni 1605 [21]) dilucide hac ratione non loquuntur. Distinctio enim quae inter ipsam maritumque statuitur, [22]) si verba ipsa respiciamus nequaquam est magna. Quum vero arbitrium iudicis decidere debeat, utrum uxor superstes „*wohl Haus hält,*" viduusque „*seinen Dingen recht vorsteht,*" uxor, cuius magis est bona communia integra servare, [23]) saepius suae potestatis fines excessisse videbitur, ubi de marito idem faciente idem non diceretur. Id vero semper constitisse videtur: „*dass eine Wittwe ohne der Kinder oder deren Vormünder Zuziehung keine auf ihres Ehemannes Namen geschrieben stehende Immobilien, hypothecarische Forderungen und Kammerbriefe alieniren kann.* [24])

Iure tandem bremensi olim a cura sexus vidua non erat libera. Sed iam quae illis ipsis temporibus gravior fuisse non videtur, nostris omnino sublata est (cf. §. 35.), itemque hisce diebus [25]) liberorum tutela viduae denegari nequit. [26]) Neque minus et de bonis communibus disponendi liberrima hoc tempore eius est potestas. Quamdiu enim moderate se gerat in administrandis bonis, nec prodigalitatis arguatur (cf. supra §. 55.), ne in immobilibus quidem bonis communibus alienandis impedita est vidua per liberos compossidentes, [27]) quibus id unum reliquum est auxilium, ut filii maiores filiaeque nupturae suam sibi poscant partem, id quod licere supra (§. 55.) vidimus. Prioribus temporibus vidua non solum per liberorum tamquam heredum proximorum iura magis erat circumscripta, sed omnino bona ipsa aggredi non potuisse videtur, nisi consentientibus liberis maioribus minorumve cognatis quorum consensum tum demum non necessarium fuisse putemus, si fructus reditusque communium bonorum non sufficerent, ut semet ipsam suosque aleret et educaret dotaretve liberos, ideoque bona ipsa aut alienaret aut bebitis oneraret. [28]) Nam quoad debita Bremae quoque et valuisse et adhuc valere exsistimaverim, ut quatenus vidua alienare possit bona communia, etiam debitis suis ea afficiat omnia, quas autem extra hos fines contraxerit obligationes, in suam demum suscipiat partem.

[21]) Stat. a. 1605 III, 3, 5.

[22]) Stat. a. 1605 III, 3, 5 de vidua aiunt: „*wohl Hans hält,*" de viduo (III, 3, 3): „*seinen Dingen recht vorsteht.*"

[23]) *Gries Comm.* II p. 278; cf. etiam *Pauli* II p. 142 i. f; *Trummer Erbr.* p. 355.

[24]) Ita iudicatum in causa *Burmester* etc. c/a *Seligmann*, a. 1819 cf. *Gries* l. c. p. 278 i. f; cf. etiam *Baumeister* l. c. (II p. 125).

[25]) Quae quaestio antea erat maxime controversa; cf. *Berck* p. 352 & n. 388 —390; *Donandt* II p. 137 sqq; *Pauli* II n. 152.

[26]) *Vorm. Ord. v.* 1826 §. 23a. Quae enim contradicit *Berck* n. 388 non solum magni momenti non sunt, sed ipsa praecepta huius legis, quibus nititur, (§. 4 sqq.) ei obstant.

[27]) cf. *Berck* n. 408b; *Klugkist* l. c. Sect. II §. 5.

[28]) cf. *Berck* p. 356 & n. 408a, 408b; *Donandt* II pag. 150.

§. 85.

Paucissimis denique inquiramus, quid sit iudicandum, si ex liberorum obligationibus, sive vivo utroque parente sive defuncto altero valide fuerint initae, [1]) durante compossessione solutionem petant creditores. Qua in quaestione decidenda nullius fere momenti est, utrum condominium bonorum communium liberis tribuamus, nec ne. [2]) Quamcunque enim sequamur sententiam, in liberos certe quin detur actio dubium non est, atque ex omnibus eorum bonis, quae communium in numero aut nunquam erant aut non amplius [3]) sunt, solutionem eorum creditores possunt impetrare. Neque vero, etsi condominos eos bonorum communium habeamus, iura parenti his ipsis in bonis concessa laedere licebit, [4]) id quod fieret, si creditoribus ius competeret ex liberorum partibus solutionem petendi. Ex bonis igitur communibus solutionem liberorum creditores numquam impetrabunt nisi sublata compossessione, idque vel ubi liberi partem suam communium a parente superstite poscere possunt. [5]) Quam rationem itidem valere concedemus in alienationibus bonorum communium per liberos factis. Quae utrum validae sint, [6]) ex natura quidem iuris pendet, quod liberis in bonis communibus competat. Sed etiam si sunt validae, iura patris laedi iis non debent; quare vel tunc omnes tacita sub conditione factae esse putentur, ne ante divisionem bonorum communium bona illa superstiti auferantur, inque acquirentis possint transire possessionem.

Cap. II.

De coniugum debitis matrimonio per divortium soluto.

§. 86.

Quisquis reputaverit, quam paucae in harum civitatum statutis inveniantur leges, quae de matrimoniis divortio vel annullatione solvendis agant, haud certe mirabitur, omnino nihil constitui, de separatorum coniugum debitis quomodo iudicandum sit. Neque etiam interest, quum ex rationibus, quae varios regunt divortii modos, ipso iure colligi possit.

[1]) Ex compossessione liberis nova in contrahendis debitis impedimenta non oriuntur, sed generalibus tantummodo impediuntur, qualia sunt aetas infantilis etc.

[2]) Qua in quaestione nequaquam consentiunt scriptores, (cf. e. g. supra §. 54), quum condominium pro indiviso alii liberis tribuant alii denegent, cuius sententiae defensores quod inter semet ipsos valde dissentiant, mirare non possumus.

[3]) Veluti si nulla divisione facta filii separatam oeconomiam condentes bona quaedam a superstite acceperint.

[4]) Exceptionem non iniustam statuit ius bremense: stat. a. 1303 O. 58; 1428 II, 16; 1433 St. 24; cf. supra §. 55.

[5]) Quod probat *Pauli* II p. 170 sq; cf. etiam *Baumeister* §. 85 Nr. I.

[6]) Validas eas esse iure lubecensi cf. supra §. 6.

Ubi enim matrimonium a iudice nullum fuerit declaratum, coniuges, quatenus non obstent immutationes, quae mariti uxorisque facultates durante matrimonio subierint, in pristinum statum restituendi sunt, quasi nullum umquam fuisset matrimonium. [1]) Quare et ob debita eorum, quae pro semet ipso alteruter contraxerit, utriusque bona invicem neutrius creditoribus tenebuntur, [2]) earum vero obligationum, quas coniunctim susceperint, uterque erit correus. Id unum fortasse moveri possit dubium, utrum, ubi cura sexus valet neque tamen libera curatoris optio penes mulieres est, [3]) ex obligationibus, in quas consenserit qui pro marito habebatur, ipsa mulier post solutum matrimonium teneatur, quod tamen haud sciam an negetur.

Divortium autem sensu strictiori, (cui hac ratione in catholicis perpetua quoad thorum et mensam separatio, licet ipsum matrimonii vinculum non dissolvat, aequiparanda est,) [4]) in posterum quidem omnia quae fuerint coniugum iura omnino tollit, [5]) pro praeterito autem matrimonium non solvit. Quare omnia, quae durante matrimonio coniuges contraxerint debita, ex regulis, quas supra de debitis matrimonialibus proposuimus, erunt diiudicanda, ob debita autem post solutum matrimonium ab altero coniuge contracta alter nullo modo tenetur.

Ad tempus tantummodo si coniuges fuerint separati, cum quoad bona eadem sit quae antea eorum conditio nec mundium maritale dissolvatur, [6]) omnia quae durante eiusmodi separatione contraxerint debita, pro matrimonialibus erunt habenda, atque ex eo iure diiudicanda, quod de hisce pro eorum origine atque natura singulis in civitatibus obtinere vidimus. [7])

[1]) Unde per se sequitur, quomodo bona inter coniuges dividantur: cf. *Baumeister* §. 83 (VI, A); *Cropp* II p. 577; *Berck* p. 455.

[2]) *Berck* l. c.

[3]) Alioquin enim consensus mariti nihilominus valet tamquam curatoris ex voluntate uxoris adhibiti.

[4]) *Berck* p. 308, 455 & 456. Aliter iudicat *Gildemeister* spec. leg. p. 81 „— quum matrimonium non sit solutum."

[5]) Quomodo tum bona inter coniuges dividantur, iure quoque communi non constat; cf. e. g. *Berck* n. 336ᵃ. Nostris de civitatibus cf. *Cropp* II p. 577; (contra cf. *Baumeister* §. 83 Nr. VI, B); *Berck* p. 308; *Gildemeister* l. c. §, 27.

[6]) *Berck* p. 308 i. f.

[7]) cf. imprimis *Berck* n. 338; *Gildemeister* l. c. p. 81 & 82; *Berck* §. 25 i. f.

THESES.

1. Praecepta de usufructu, qui est in silvis caeduis, per l. 9 §. 7 D. de usufr. (VII. 1) data a generalibus quae de usufructu valent regulis nequaquam abhorrent.

2. Adversus creditores quoque, qui in reliquorum fraudem suum receperunt a debitore communi, pauliana competere potest actio.

3. Sententia de feud. L. I. tit. 1. §. 1 — tit. 3 a Dieckio (*Litterärgeschichte des Longobard. Lehnrechts etc. Halle* 1828. p. 16 — 35) composita, argumentis ab ipso allatis non probatur.

4. Eorum magis accipienda esse videtur sententia, qui per donationem ab Ottone secundo Marchione Brandenburgensi et a fratre Alberto Comite, a. 1196 celebratam, non allodia tantummodo eorum Archiepiscopum Magdeburgensem nactum esse exsistimant.